†

De la Libreª del Nou.do de Sn. Luis de Sevilla 9

1739 d. 1

1

SINGVLARI CVRATIONI

AFFECTVS EPILEPTICI IN pregnante fœmina, quam Doctor Iacobus Tamayo faciendam censuit, iussit, & demonstrare affectavit.

Respondet Doctor Petrus de Victoria Valentinus, apud Hispalēses medicinam exercens.

☞ Ostenditur quam sinistra fuerit curatio, & quam multis à proposito alienis imbuta, quatenus; vel ut singularis describitur.

¶ *CVM LICENTIA.*

Hispali, *apud Illefonsum* Rodericum *Gamarra. Anno* 1610.

Dubitationi satisfit, fœminæ octo menses pregnantis, epilepsia vehementisſima, per primogeniam affectionem, non per consensum uteri detentæ: atq; eius medellam, malè, & sine instituto medico, venæ tali sectione expleri posse, rationibus, & artis decretis illustratur: demum absoluitur respõsio in errationibus tanti Doctoris refutandis; relictisq;, quæ in primo, secundo, & tertio articulis offenduntur, uti ad nihilum spectantibus.

SI QVISQVAM EST, CVI PER MIRVM accidat, dum videat, scientiarum peritisſimos viros socios, familiarisſimosq;, inter se se, de assumptis nonnullis vsq; adeò discrepãtes; ut omnino opposita opinentur, tueantur, exerceant, typisq; dare, iudices inquirere, & suas etiam lucubrationes per universum non dubitent immittere orbem. Mirari sanè desinet, si præterita alta mente reposita cogitet. Nam quis ignorat, divinæ paginæ peritisſimos religiosos, atq; religionis integros, circa

difficilia, nostris temporibus acriter disputasse: ut non omittam Ecclesiæ duo luminaria, Doctores scilicet sacros Hieronymum, & Augustinum, sicuti eorum opera testantur, sępenumero decertantes: verum ad nostra deveniamus. Elapsis annis, de lethargi delirio D. D. Garcia de Salzedo Coronel, & Franciscus Sanctius de Oropesa laudabiles viri, viriliter concurrere, atq; quas potuere Academias consulverunt: pro qua difficultate, doctissimi medici Regij, sua etiam iudicia excuserunt. Post hæc, inter omnes Hispalenses medicos, iuxta variolarũ evacuationem, dissidium fuit maximũ: multis sentientibus, venas secandas; nonnullis ad scarificationem magis pronis; idq; non sine maximo iuventutis medicæ usu. Quid enim referam huic cognatã, quamvis antiquam, & absoletam quæstionem? Vtrum pueris secuerit venas Galenus, & quibus, ab eisdem vẽtilatam: ipsumq; Doctorem Sanctiũ, cum illustri medico, ac sapientissimo Doctore Petro de Peramato acerrime concertantem; tùm de mittendi sanguinis occasione in prolapsis ab alto, tùm etiam circa mumiæ contra casum exhibitionem, sindonisq; vino ferventi imbutæ involutionem, non ita pridem vidimus? Atq; in præsentiarum, vbiq; gentium scitur, quas turbas dederit, iam diu silentij nube obducta, in pleuritide à distantissimis revulsio. Ego omnia mente evolvens, reor à

Deo

Deo optimo maximo permissa, ut accuratius omnem in salutem proximorum dirigeremus operā: sicq; maximæ illius pietati, misericordiæq, fidentes, credere par est. Aut forsan ex nostræ fragilitatis parte, ad rei ipsius difficultatem reducendum, ad veritatis videlicet scrutinium. Neq; id à nobis modo homuntionibus, sed proceribus illis, Antistibusq; medicinæ animadversum, & scriptum est. Nā Hippocrates cognito laconismo sic innuebat. *Multa enim nos qui mortales sumus, latent; ut potè nō omnino per veritatē corroboratos, ad id quod obscurum est, omnem vim aggregatam esse opportet. Hæc Hippocrates.* Cęterum Galenus apertius, pulcherrimeq; ita proponit. *Neq; enim si veritas esset inventu facilis, tot, ac tanti viri, qui illam perquisierunt, unquam essent in tam contrarias sectas dispartiti.* Pariter apud nos cecidit ad finem status proximę; nam accersitus ad invisendam nobilem utero gerentem, circiter octavum mensem attingentē, validissimis, necnon assiduis motibus convulsivis torsam, agitatamq; futuram, quam mox ex apparatu timens apoplexiam, cephalicam brachij venam (quod aliquanto ante spectatæ eruditionis, & consilij cathedram rei medicæ Vesperorum, Hispalensis Academiæ accuratè regēs Doctor Ludovicus Ramirez ægrę instituerat) ex templo secandam iussi, scopos suo loco dimitto; reliquaq; illi maximo paroxismo

Lib. epistola, epistola ad Cratevam.

1. Apho. cō. 1.

 debita

debita præsidia administrans; prędicto periculo, męrens recedo: Cum ecce super accersitus Doctor noster in ore, atq; oculis omnium proclamavit, & deieravit utero gerentem magna epilepsia, seu parva apoplexia laborantem, septimumq; mensem (ut ait) eggressam è venis tali phlebotomãdam fuisse. Verum enim verò, quoniam ipse suum genium vocibus, scriptisq;, & operibus, satis superq; ostendit, dirum cogitatu, turpe dictum, temerariumq; assumptum, cum quilibet, vel mediocris lectionis medicus nõ ignorat (ut postea probabo) quod vetustissimi authores medici, gravidis venæ sectionem constãter, & perpetuo ex talo denegarũt quamvis ethnici caventes, ne conceptus veluti planta, & animal homo vè corrumpatur: quodq; posteriores, experimẽtis potiores observationes reliquerint; sicq; gravidarum venas aperiendas docuerint. Tandem Christiána religione tacti medici, altius, necnon pijssimè hanc aporiam differentes, utero gerẽtibus, ubi aliter fieri nequit, venas cubiti citra pregnãtium, fęturamq; iacturã crebro scindunt, ea tamẽ lege, ut cephalica semper communi præferatur, basilicam verò neutiquam pro fide medica solvendam reliquerunt. Itaq; vobis etiam doctissimis, hæc quasi Atheniensium, inconsulta temeritas iudicanda relinquitur: cum

nulla

nulla præ medicatione in pregnantis apoplexiæ admodum diſpoſitæ medella, præ cacochimia pituitoſa, & cerebri offertione, ſubinde convelentis, ut ocyſsimè in apoplexiā converſio oſtendit. His igitur in armis acciſcens medicus per id temporis, capiti affecto, ſeu parti principi nihil quod ſubſidio eſſet, adhibere tētavit; ne memor quidem fuit, ſemper enim præſens abeſt, ſed è veſtigio tali venā ſecare coegit: ne tùm (ita mihi propitius ſit Chriſtus) ſciens orificium cervicis uteri, tumore fuiſſe tentatum. Quo ergo cōſilio, ſi non inertia id prçſtitit, fatiferum cum ſit fçtui, & gerenti utero exitiale? Debuerat enim qui Aruſpex eſt, & lapidum interiora (ut ipſe ſibi placet) mente penetrare, & tumorem, quamq; partem orificij obſideret, ſi nō exquirere, ſaltim ariolari, ut de venę ſectione affabrè deliberationem haberet, utq; itidem eius rectitudo ſervaretur. Pro certo igitur accipiendum, qui venæ ſectionem in talo, non præcognito uteri cervicis affectu, atq; ex preto gravíſsimo cerebri morbo, necnon urgentiam habēte pro derelicto, & affectum quem ipſe ne tum de facie noverat, curās, inertiæ nomen ſubire. Ad hæc, Doctorem Franciſcum Anchonam illicò rogaſſe, num tumorem inflammationis ſubiſſe viderat: ſicq; ſcrutatus fuit, quæ potuit, & quæſivit omnia, ut argumētò

ſuo erroneo fucum daret. Sed cum ab eo tumorem æquantem duorum pugnorum magnitudinem audiret, exiluit gaudio; ut potè inflammationem uteri depræhenderet (quasi pudẽdorum tumor ipſius inflammationẽ oſtenderet) quam, & ſi gravidatione venis dumtaxat pedum prima quaſi hora ſectis, curatum iri duxit. Circa quod opus quoddam novem Muſis celatum (ut putat) in quatuor digeſtũ tractatus, ſatis ſanè polichroniũ emiſsit, & quale ſit in medio relinquo: quòd adverſus me, veluti corvus aquans ſtruxit. Tum deinde ut ſuæ ſententiæ ſatis daret, cum medicis omnibus, & amicis conſultis totam rem cõtulit, cunctiſq; renuentibus, & abſurdum, & impium iudicantibus; (illis exceptis, qui ad eius voluptatem loquebantur) & me ſcitè humeralem ſolvẽdam aſſeverantibus, præcepiſſe: quibus quidem probari neutiquam potuit, tã perniicioſa, tamq; perdita opinio: ſanguinis enim miſsio utriq; affectui remedium eſt, cum utriq; cõmunes apertè fuerint venæ. Ecce iam animi dubius, & ferè ex animis, potius ſimulans, & amicitiæ (ut ait) reconciliationis gratia fugiens, vel ſaltem receptui canens, ut ne herbam daret. Sępius itaq; à me laceſsitus, quamvis tremens ad ulcera ſordida aufugiens, reſpiravit, Peneloπiſq; telam retexit: Itaq; in initio ſine ullo ſcopo, in gravida affectu

 capitis

capitis laborante, talum quęrebat, secundo inflammationem uteri; tertio ulcera sordida; quarto uterum sanguine expletum acetabula, inquam, ob scopos habuit. Quid hę inconstantiæ, cõsiliją; mutationes, nisi fallaciam, reiq; memoratæ inconstantiam portendunt? Profectò (ut ego aduersè referẽdam historiã, ac etiã ad manus veniã) medicus qui in matris periculo, matriq; (ut ipse ait) auxiliares manus porrigens, venas tali seccando non formidabat fętus corruptionem, superficialis sane medicus est reputãdus; nõne ex fętus corruptione, mortẽ matris prospicere tenebatur? Vidimus quotidie ex partu naturali anno proximo, & alijs tẽporibus, matres mortuas quã plurimas; & modo in morbo acuto, una cũ fętus abortione securi sumus? Verum enim vero, si ex immaturo partu sub orienda symptomata, vel semel meditaretur, nec phlebotomiam unquam iussisset, nec proelo deffendere nixus esset. Immo potius palinodiam sedulo recantasset, quemadmodum ratio postulabat. Pudet me, quod ita temerè instituerit, fętũ esse in utero veluti numus in crumena, aut saccis, quibus apertis, inferiusq; versis numi sponte concidant. Sanè quãquã gravidæ fętus pars non sit, dum matri agnascitur (ut sic loquar) ceu arboribus fructus adhærescit, ac utero talibus, totq; ligamentis nectitur, ut neutiquam decidere, suapte natura ex utero posit: sed

 quis

quis credere poterit, tantum Doctorem, ad hanc cęcitatem adolescente indignam, deplorandumq; statum perductum? Ego patres, atq; iudices, ut de me ingenue fateor, potius agere protervum, & contentiosum, quam inscium existimavi iam diu: id ne quod in angulo temerè, & in fabre præcepit, palam in plateis etiam illi nocere possit. Dolendum est hoc, ac proinde Deum, non vulgus timeat exhortor, atq; deinceps, ne se tam magnum in medicina contempletur, sed parvulum fingat: veritates enim artis medicæ factivæ, ex Galeni methodo depromptas, & multa alia huic muneri necessaria, Valentiæ ferulæ medicæ subieci, ac superna virtute mediocriter didisci; neq; unquam ob id alios despicatos habui, neque socijs infestus; omnes audio, laudo, & admiror. Sed iam tempus est, ut ad privata veniamus, ad eaq; quæ usui sunt futura.

Verum primo humiliter oro, ut omnes artis medicæ Doctores, qua sunt prudentia, eruditione, & ęquitate, ad quos huius disputationis decisio pertinet, sequentia perpendant, & quomodo me gessi in curatione, audiant. Vtque epistolis provocarim cōstet, quæq; ultro, citroq; habita fuerint, ut postea fusius probem, atq; illius tractatus reprobem: Quæ utinam in proximorum usum cadant, sic enim, & vobis grata, & Deo accepta futura non dubito.

Quamvis multis de causis contentio hæc, mihi

risum magis, quam stomachum movere debeat, nihilo minus, ut honori meo consulerem, & omnium animis huius reipublicæ civium satis darē; decrevi ne quicquam in præsentiarum omittere, sed rem omnem hic ad vivum effingere; ut lectoribus universis disputationis occasio, meaq; comitas, ægrotantis atq; historia, non dissimulanter constet. Ordiorq; ab epistola primo provocativa (emissa secūda) nemorosus videar, quibus privatim nunquam respondit, sed ultra sex menses in tractatus quatuor compositione, sedulitate non parva extraxit.

D. Tamayo. D. Victor. S.

SVperioribus diebus non alio nomine quam benevolentiæ affectu te vehemēter monui, & causa nostra, & amicorū, quàm studiosè tecum egi; ut dicteria, scomata, & convitia voluntaria contereres oblivione; sunt enim frugi homine, & Christiano indigna. Tu enim grato animo, promerito, mihi tunc reddidisti gratiam, maxime tuis cū commodis, atq; existimationi studio tanto cōsulverim; scio quidem ab homine consulto; necnon spectatæ probitatis hoc proficisci dixti. Quare rogatū profore putavi, verum in sylvam (ut aiunt) lignatuli, ut potè, nec quicquam valuit. Tametsi in retinenda lingua per aliquot dies te colligere potuisti prima

 tamen

tamen se offerente causa nobis succensuisti primũ:
Curationi etenim inceptæ utero gerentis fœminæ,
cuius rogatu, & accersitu, tu itidem ad invisendam
venisti, è vestigio nulla præmeditatione, &
comitate, pro palam non fuisti veritus theta nigrum
appingere. Cumq; astantes me crimine curationis
à te accersiti audirent turpem sine dubio,
aut musitando, aut proferendo mihi adscriberent
notam, nisi in re medica pro sua humanitate, &
erga me benevolentia ab ipsis magni fierem, imo
ab ijsdem accepi tuis te rationibus obstrependo,
cerebrum illis excusisse, ut si lapides loquutus fueris.
Sane non es tu insiciando; hoc, simultatis periclitatæ,
& amicitiæ prætextæ esse vestigium: ne
proinde neutiquam te lingua impetam mea; Deus
namq; ultor est, musare licet, eapropter susque
deque habere debeo, & certo dicere, quamvis
tua in me dicta plumbeas iras suadere poterant, habeo
polliceri sine stomacho esse malè enim sarta
gratia (ut ille ait) ne quicquam coit, & rescinditur.
Idcirco, ut equas meas audires quærellas, ad
te hanc mittere schedulam decrevi, quòd scias
quam aveam in re literaria tecum pedem conferre.
Puderet te, primo obtutu, ut tuatim facis, impetu
latus, magis quam consilio ductus, venam brachij,
utero gerentis fœminæ subinde convellentis,
tis, aut tumore ingenti cervicis uteri orificium
obsi-

obsidente, in fabrè, & incommodè solutam fuisse, in conspectu, atq́ue oculis astantium improbare. Quorsum hoc nisi (si Dijs placet) ut sapientium octavus esses, vel quia solus sapis, & volitant alij velut umbræ : si quid erratum commisi, prætexere fas erat : igitur occasio poscit, rescribas opto, ut in memoriam opportunitates contentionis prominere medicinæ studiosis possint. Verum pacatè; nam in disceptando tutam, & tranquillam pacem, trahere opus est; quod animo infenso, veritas reperiri non potest; & si placet, post hæc physicæ, & metaphysicæ aporiæ tractentur, etiam nos manum ferulæ subduximus. At in medica controversia insistendum primo est, ne veritas in occulto lateat, sed emergat, qua duce, contra ingenij tui acumen, & calliditatem, facile me per me ipsum defendam. Vale.

IAM vero ægrotantis historiam audiatis obsecro Medici, iudicesq́; præclarissimi, cui quasi stabilissimo pedamento tota nostra disputatio inniti opus est. Quamq́; , ne quis de narrationis veritate sit dubius, Hispano sermone primum scribere libuit, ut etiam ab spectantibus, qui tunc erant, facile teneretur : atq́; ab ipsis, ut res se habuit (& nulli non constaret), subscriberetur : quorum subscriptiones, videlicet mariti, socrus, aliorumq́; præsentium, necnon curantium Francisci Anchona, & Ludovici

 dovici

dovici Ramirez Doctorũ subscriptas doctissimus Doctor Tamayo,& alij quam plurimi,& viderunt, & legerunt. Modò ego ipsam totidem verbis transferre volui Latinis, ut ne à reliquo sermone distet, tametsi longius quam par sit tractaverim hæc; non culpæ loco ideo ponenda, quum omnia in nostram defensionem apprimè quadrent.

HISTORIA.

NObilis Catherina Quiñones, unde viginti annos nata, ultra septem menses pregnans, prævictus ratione depravata, pituitoso humore offerta abruptè de media nocte vehementer dolore capitis torta, gallicinioq; accedente, recrementa alvi reddere expetivit; nullis egestis, cubile rediens evomuit, lingua quasi blesa, eorum instar, qui vino sunt obrupti, paulò ante conticinium, ingens febris, convulsiviq; motus, similes ijs, qui epileptici sunt; assiduè ipsam convexantes, & verò circiter duos dies, urserũt gravi molestia, usq; in apoplexiam desierint, in exordio spumam ore excusit. Doctor Ramirez ceu vicinus, diluculo iam proximo, ut suppetias veniret primo ascitus; illicò advẽtavi, quęsivi, num antea aliquid subisset malum, tumorem cervicis uteri orificium dixerunt astantes, obsidere. Cumque obstetrix, Doctorq; Franciscus Anchona,

Anchona, per id temporis astitissent: ab ipsis ergo inspecta, magnitudinem duorum pugnorum ęquātem abscessum, modo panni productum, habere sine discrimine asseverarunt. Quare mecum faciens Doctor Ramirez, prædicto marito, ac parentibus periculo ex templo venam brachij externam aperire præscripsimus; quippe per primogeniam affectionem efferri cerebrum depræhendimus, non tamen lege consorti; acquievit quoddammodo. Tum demum, adeò invaluerunt symptomata, ut eiusdem diei hora secunda, convulsionum vehemētia, absq; præsentium notitia partum abegit, infantem mortuum excussit; colluviesque toto gestationis tempore esse solet, in secundis reposita, omnino defecit: super hæc pessos, sciendæ purgationis causa inditos extulerūt exucatos. Mox cum totius corporis resolutione oregmon evenit, ac tandem sequenti luce aspiratio cubiculi, quam teterrimus erat foetor, quarto excessit. Atq; hæc est vera huius ægræ historia: ac malè mihi sit, si quid diversum à vero effinxi.

Igitur post historię verissimam, & rerum gestarum enarrationem, tempus, & locus exigunt, ut ostendam ex arte, venę sectionem ex humerali brachij dextri, à me, atq; Doctore Ludovico Ramirez fuisse decretam. Quomodo me ad eius medellam gessi, audiant qui ęquè discernūt, gravidam ipsam

attentè

attentè intuens; talē, tātumq; morbum, partemque primogenia affectione laborātem, cerebro scilicet epilepsia adeò oppresso, statim pro futuram venæ sectionem mente concepi. Neq; (ignoscatis obsecro) Gal. neq; alius medicus super accersitus secus de vena secanda sentiret, non dum enim quisquam (ut dictum est, & repetere sępius oportet) certior factus erat medicorū aliquis, de affectu uteri; unde nequeo satis doctorem nostrum mirari, nec dum vivam cessabo, neq; intelligere, fieri posse. Quorsum prima invisione, uteri affectus inscius gravidę mulieris, tali venas solvendas, proclamando cogeret? Ad rem ergo, & ut nobis Valentinis est mos, breviter iuxta methodum venæ sectionis, rationē præceptæ, reddam.

Habemus ex Galeno quatuor scopos, in remedio considerandos, qualitatem, quantitatem, occasionem, & utendi modum. Circa qualitatem remedij; quoniam, *indicatio est compræhensio iuvantis simul cum compræhensione nocentis adveniens.* Hinc est, ut percepta epilepsia assidua, morboque magno, magnum, atq; præsentaneum remedium, vene sectionem scilicet, simul cōprędendamus; magnum verò morbum ob partis principatum, etiam venarum sectionem privatarum exigere, ut Galeno dicitur: *Nam missio sanguinis non solum ob redundantiam humorum; sed etiam propter morbi vim, aut magnitudinē*

adhi-

adhibetur.

Quantitàs auxilij incompræhēſibilis, ita commenſuratur à viribus ſœminæ, à gravidatione ſeptem, aut octo menſium, anni tempore, atq; cacochimia, à quibus adductus, moderatam fore iuſsi: neq; oblitus interim externorum reficientium, virtuti itidem providens.

Vtendi modus, nō minorem in remedijs partē, præſertimq; in evacuationibus habet, ſępe dicente Galeno: *At à ſitu indicatio, neq; ipſa prætermittenda eſt, nam per quæ evacuare opporteat, aut quomodo id affectus locus commōſtrat:* idemq; Galenus de capitis affectibus venæ ſectionem ex poſtulātibus ſcripſit. *Non immeritò igitur humeraria ſuperiores claviculærum partes, eaſq, quæ in collo, & capite exiſtunt, tum magis, tum velocius evacuant.* Eundē utēdi modum docuit. 4. ſan. tuen. c. 10.

Occaſio; quoniā, *velox in omnibus acutis,* in perper acutis velocior multo (ut in hac epilepſia) ſtatim exequendam indicavit: ne videlicet, quod impedire nō potuimus, in apoplexim terminaretur, atq; ex ea in mortem, illud Hippocratis ob oculos habens. *Ab omni quidē arte aliena eſt dilatio, verum maxime in medicina, in qua dilatio eſt animæ periculum.* Sicq; methodo medica venæ ſectio ex humerali vena regulata, & exercitata fuit, de quibus omnibus latius poſtea, ne in tędioſam repetitionē incidamus, ſi modo liceat ab ovo uſq; ad mala ꝓcedere. Epiſt. ad Cratevam.

 Verum

Primum fūdamentum. Verum operæ prætium duxi, primum statuere fundamētum,& sub manu probare, epilepsiam per primogeniam cerebri affectionem accidisse, neq; in ea cerebrum lege consortij ex utero consensisse.

Neq; vero arèi definitione incipiendū est, quēadmodum amicus fecit, quāvis causam in medicos adolescentes reiecerit, quorsum ignoro, si enim scholastici sint, præceptores, sim provecti, libros habent, tot cartas consumens ad tędium usq;, definitiones aliorum, authoresque transcribēs, frustra profecto omnium tempore abutens; ad rem tamen. Innumeri libri à maioribus scripti leguntur, sine definitionibus: unde doctisimus doctor Frācisœus Valletius, cuius se esse discipulum dicit (nec vero imitatorem constat) Galenum excusans, scripserit. *Aggreditur vero divisionem Galenus, non præmissa diffinitione, quia cum res de qua agitur nota satis sit, ex ipso nomine frustra quæritur diffinitio: quippe quæ nihil perspicuitatis præstat doctrinæ, & potest sermonem remorari excitatis controversijs. Hæc Valletus in discipulum obliviosum.* Proindeq; Galeni doctrina, circa definitionem logicæ regulis cōformi habita, nobis relicta: ad divisionem epilepsiæ cū doctisimis antiquis accedam obiter.

1. de. dif. feb. c. 1.

Hāc, tripliciter posse cōtingere docet Galenus: *Atque de morbo comitiali deinceps dicendum est: quādo quidem hic quoque interdum ipsomet affecto; interdum alijs*

3. de locis af. 7.

alijs consentiẽte cerebro evenire solet: ut enim tria melancholiæ genera, ita hunc quoque morbum tribus contentum differentijs, omnes ferè medici distinguere neglegerunt. Verum omnibus commune est, quod cerebrum afficitur, vel consistente in ipso affectu (id quod pluribus epilepticis accidit) aut à ventriculi ore, &c. Fit etiã raro tertia morbi comitialis species ex aliqua parte. Itaq; docet Galenus epilepsiam fieri, & per primogeniam cerebri affectionem, & per consensum cerebro patiente. Cur vero accidat partes per consensum pati, clarissime ipse monstravit. *Ergo cum pars aliqua simul cum alia sic afficitur, ut irritata quidem una, altera molestatur; remissa vero, irritatione quiescat, eam per consensum affici, putandum est.* Hactenus Galenus, cuius vestigijs insistentes, poterimus (nisi fallimur) dicere, Ergo, erit descriptio affectus per primogeniam affectionem, cum pars aliqua sic afficiatur, ut nulla alia irritata, ipsa molestetur, & assiduè patiatur secundum accessionem suam, eam per primogeniam affectionem laborare cẽsendum est. *2. de loc. aff. c. 9.*

His firmissimis sic iactis, tota difficultas ad hũc cardinem revocatur, num gravida illa per consensum, an per primariam cerebri affectionẽ perpessa fuerit. Primum enim ad libitum assertum est: secũdum vero probabo. Atq; si lectis est fides adhibita, frequentiorem modo per primogeniam affectionẽ

cerebri vidistis: quæ verba repetam. *Vel consistente in ipso cerebro affectu id quod pluribus epilepticis accidit.* Atq; cum contrariorũ contrariæ sint rationes, ipse volens distinguere pacientem epilepsiam per consensum, ab eo cui non lege cõsortij evenit, inferius ita habeat. *Mihi vero, per eiusmodi consensum videti aliquando laborantem, sive vehementi convulsione concidere; simul, quod per intervalla, brevibus quibusdam motibus quateretur; probabile visum est, quemadmodum frequentissime singultum fieri cernimus, affecto stomacho, ita hanc quoque dispositionem evenire.* Rursus. *Itaq; cum cecidissent, qui non ex propria cerebri affectionẽ, sed per consensum, morbo comitiali laborassent, veluti palpitãdo per intervalla concuti videbam, proinde existimavi,*&c. Ecce Galenum distinctè inter distinguentem comitialem per consensum, atq; illi levem motum ascribentem convulsionis, seu palpitationis ex intervallis; hæc intervalla brevissima intelligere est opus: non quæ Galenus in epilepsiæ definitione tetigit. Quæ intervalla proculdubio non aderant epilepticæ gravidæ, immo vehementissimę, assiduæque in toto corpore convulsivæ affectiones: quare per primogeniam affectionem evenisse ex Galeno mihi videtur satis, superq; probatum. Quod vero non solum in epilepsia, sed in alijs affectionibus permanentiam proculdubio affectum primogenium indicare ex Galeno constat:

3. de loc. aff. cap. citato.

Citato sæpius.

sic

sic enim dicit. *Nam aßiduitas suffusionem portendit, intermißio vero, quod malum à ventrıculo prodierit.* 4. de loc. aff. c. 2.
Pariter docet Galenus in vertigine, & alijs affectibus; unde cũ gravida duobus diebus assumpta fuerit, ex immiti, asiduaq́; epilepsia, per primogeniã affectionem obijsse est manifestum.

Sed prius videamus victus rationẽ, docuit nãq́; Galenus, nihil aliud esse victus rationem antegressam scire, quam causam morbos facientem agnoscere. Cogitate amabò, utero primo gerentem divitem Hispalensem, adolescentulam, atq́; ad finem ęstatis, ex morbo (ut ita dicã) frigido laborantem: tempus enim hoc maximum apparatũ arguit, nec sine ratione, quippe gravidæ, cum primis mẽsibus fastidio præmãtur, ac malacia laborent, mille spurcitijs utuntur, fructus acerbos, austeros, põticosq́; mandunt, poma videlicet, fructuum verò maturationem afferente opora, dici non potest: quam ad saturitatem ingurgitẽt, melopepones, & alios fructus fugaces; quis poterit recensere? Inter hæc, frigidam bibunt, vitam sedentariam agunt, aulæ domus, quæ tota sępius irrigatur; denique nullũ non movent lapidem, refrigerij captandi gratia: quo in statu, ne quicquam illis denegatur, nõ visum dico, olfactum vé, sed neq́; somnium; adeò illorum desiderijs (ne arbitrantur) vir, parentes, domesticiq́; piè student: neq́; mirari profectò, si sub dio, aut

ſaltim apertis ianuis, feneſtriſq; noctu dormirent, quę omnia, totum illius corpus, caputq; repleviſſe, mihi facile perſuadeo, quam eandem vitam, mihi ſervãdum memoria peto, pro ędematis in orificio cervicis uteri generatione; de qua in ſecunda parte tractabimus. Legiſtis victus rationem, ex qua manibus, pedibuſq; quilibet doctus, vel mediocriter (antequam accideret) illi apoplexiam portẽderet, laurũq; mihi porrigeret. Sed videamus ſigna, quæ authores reliquerunt, breviter tamen, ne lectorem nimis de hac re obtundam. Paulus AEgineta referens ſigna, epilepſiam per primogeniam affectionẽ cerebri præcedentia; inter multa, hæc narrat. *Invitum corporis ſtatum, triſtitiam, oblivionem, turbulẽtas in ſomno imagines, capitis dolorem, eiuſque repletionem continuam. Hæc, & alia.* Sed Avicena ſcribit. *Cum autem volueris ſcire, ſi ægritudo eſt in cerebro, aut in membris alijs; intẽde ſemper, an invenias gravitatem in capite.* Quæ præceſsiſſe, eſt planum. Aliabas tradens ſigna epilepſię cerebralis à materia phlegmatica factæ, ait: *Corpus eſt plenum, groſſum, & declinat ad colorem album, & præceſsit regimen infrigidans, & humectans phlegmatis genitivum.* Hæc ille; ac ſi gravidam noſtram deſcripſiſſet.

Lib. 3. c. 13.

Lib. 3. fen. 1. tract. 5. c. de epilepſia.

Proprio cap.

Raſius, unde forſan omnes ſigna excepere, ita: *Mollities corporis, & albedo coloris, complexio frigida, & multus uſus frigidorum ciborum, & alia.* Quę omnia,

In diviſionibus.

nia, si propius ad causam accedamus, sic patent: nã hoc symptoma aliqualem meatuum cerebri obstructionem insequens, symptoma est in reteris, sequiturq; imbecillitatem caloris nativi, facultatisq; videlicet coctricis, in cerebro ipso, & capite existentis, atq; expultricis illius. Cũ enim facultas coctrix diminuta sit, atq; exactè sibi impertitum alimentũ non cõficiat, necessariò sunt in eius ventriculis cõgerenda sensim excrementa. Quo fit ut expultrix ex impari onere, haud potens, expellere per proprios canales, ad emunctoria præmatur, ac in tantũ sustinet, donec tanta portio accumulata est, & meatus connivere incipiunt: unde nequeunte natura; rem sibi molestantem ferre à se excutit, motumq; illum depravatum edit. Hanc doctrinam colligo ex Avicena. *Et omnis causa epilepsiæ cerebri, comparatur ad debilitatem congestionis in ipso.* *Loco citato.* Sępius tamen aliunde suscitari epilepsiam, quam ex vẽtriculorum cerebri infarctu aliquando experimur; ut ex Fernelio liquet deprænendente. *Aliàs ob cerebri abscessum fieri, interdum vè corruptam meningis portionem calvæ adhærentem summo dolore: quibus è locis teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat. Hanc speciẽ ostẽdunt capitis gravitas, aut dolor etiam atrox, sensuum, mentisq; stupor, aut tarditas, faciei pallor, turbulenta in somnia, & quòd accessio repente hominem adoritur nulla symptomatum præsentione.* En quam liquido

liquido conſtat, gravidæ ab aliquã harum cauſarũ occaſione, motus convulſivos, vel ſi dicere mauis, epilepſiam fuiſſe inflictam; ſive ob humorũ offertionem ſive ob cerebri tumorẽ, vel meningis calvę adhęrentis corruptionem, vel quomodocumq; libuerit, cerebrum tantum per ſe, non per cõſenſum affici. Verũ fortaſſè me Battologiæ accuſabis, quũ in his tractãdis latior, quam res poſcit, noſtra fuerit explicatio: fateor tamen in pręſentiarum noſtra intereſt, prius modis omnibus pręſcribere, quomodo cerebrum in epilepticis cõvulſionibus efferatur, ne vero luxatis pedamentis, noſtra fœminæ epilepticę exiſtat medẽdi ratio. Neq; enim par eſt, citra omnem probationẽ, ſolo arbitratu, ut in tuis tractatibus præſtitiſti, cerebrum ſtatuere in prędicta fœmina tantum lege cõſortij affectum. Quãvis in medicina, ut in alijs artibus, credas dictis, factiſque valere; utique opporteret, te ſigna cerebri ex utero affecti proponere; ut rem omnes ita eſſe exiſtimarent: non enim ſatis eſt dicere, ſi ratio abeſt, cui, & arti, ubi inter quos negotium exiſtit, ſolummodo cõmittendum eſt, non vero fidei diſſerentis. Cõſulere diſertiſsimum archiatrumq; Doctorem Ludovicum Mercatum fas erat, qui ſcitè ut in omnibus ſolet, quæ ſunt propria huiuſce affectionis ſigna ſparſim à veteribus conſtituta ſpicilegij inſtar. lib.2. c.5. de uteri affectionibus, omnia coegit, ubi ſic ait.

sic ait: *Quam porrò epilepsiam ex prædicta causa obortà, non vulgarem, & utcumq; esse censemus; sed mille varietatibus implexam; nam quibusdam totum corpus contremiscit, alijs una, aut plures partes; rursus nonnullis, vel oculus solus, aut lingua, aut caput, vel manus, aut alterum crus, nonnunquam septum transversum, & multis reliqua respirationis instrumenta: plerisq; horum aliquid per intervalla ordinata, aut citra ordinē accidit, vel sponte, vel à leui occasione sumpto principio, & mirabilius est, ex voce, sonitu, aut musico concentu, vel flatu, aut quavis alia re, cuius rationem intellectus consequi nequit, quod extra naturæ ordinem, & institutum videatur ad sensum præesse. Quibus præterea motus varietatibus aliquando accidit, aliquod mentis vitium succrescere, vel alicuius extremorum sensuum; ita ut quædam apertis oculis non videant; aliæ vero quæ verbum audire possunt, multiloqui non valentes, mutæ, & veluti faturæ decumbunt. Plures itidem se videre, & audire multa, quæ falsa, & à ratione aliena sunt, existimant: aliæ quidem vociferantur, & vehemēter conquæruntur, cum vero proferre quid sentiant, cupiunt, non valent; item risum non levem proferunt, aliæ fletum, omnes tamen ferè sensu tactus privantur. Plerisq; etiam, pleraq; ex prædictis accidentibus simul iuncta succrescunt; quædam nullum cibum appetunt; aliæ devorare nequeunt, immo si id conentur, vomunt; à potu abhorrent, ideoq; urinā non reddunt:*

quę omnia à cerebro, utero compatiente prodeunt. Hæc ille ex quibus ne unicum quidem utero gerenti affuisse, est manifestum. Rectè igitur conficitur haud fuisse ægram lege consortij, epilepticis convulsionibus affectam.

Sed quamvis Galeni, & aliorum authorum monumentis plurimum sit committēdum, nihilominus, in disputando non tam authoritatis, quàm rationis momenta quęrenda sunt: Atq; primum unū præscribamus theorema, ut nostra tibi enucleatior dictura existat ratio. Nemo inficias ibit ob calidi humoris effluxum, frigidi vè, aut iuxta calidā, vel frigidam intemperiem, dolorem capiti vehementē posse usu venire. At humiditas, sive simplex, sive cum affluxu nequaquam capiti dolorem incutit, Cap. 1. siccitas autem moderatius efficit, ut Galenus. 2. secundum locos docet, quod minime te latère putò. Igitur rectè dolorem capitis, quo ægra aliquantò ante convulsionis accessum fuit acerbe torta nullo prorsus modo ab intemperiebus, sed ab humoribus, in universam cerebri substantiam irreptis aboriri, discrevi, ut potè finitimæ cōvulsiones repletione factæ, subsequuta itidem apoplexia, rubor faciei, stilla sanguinis, febris ingens, ac deinceps partus omnino exuccatus, manifestò declarant. Ergo qui potè, ut obsidente cerebrum humore temerè quispiam dicat, affici per consensum? ubi vero mo-

tus

tus convulſivus contigit per cõſenſum; ſecus affici in cõperto eſt, non enim ab humore fit, ſed ab aura, vel vapore, vel fumoſa aliqua ſubſtantia cerebrum ſubeuntibus, necnon vellicantibus quibus laceſsitum, ut ſibi cauſam moleſtantem alio traducat, cõcutitur. Quare bona ratione fit cerebri noxam ab humore tantum profectam, per primogeniam affectionem dici. Huc accedit, quod Galenus ex Archigene refert; ubi poſtquam differentias, & cauſas vertiginis diſcrevit, atq; primario affectus ab ijs, quæ per conſenſum fiunt affectiones, variavit dicens. *Nam ubi ex primaria cerebri affectione obtenebratio dependet, aurium ſonos, & capitis dolores, gravitateſq; præcedere.* Porro ex vehementia ſymptomatum, cauſæ magnitudinem deprahẽdimus, atq; ex illorum permanentia, conſiſtentiam ipſius: ſi ita eſt qui ægram exercuit dolor, ne quidem eſſet vaporem, & auram ſequutus; ſubito enim fieret, & ſolveretur, ſed rem fixam, & inconcuſſam, ex qua poſſunt lethalis cephalea, & aliæ affectiones ijs cõformes, quæ præſenti ægræ obtigerunt, proficiſci; ut ex Celſo, lib. 4. patet. *In capite autẽ interdum acutus, & peſtifer morbus eſt (quam cephaleam Greci vocant) cuius notæ ſunt, horror calidus nervorum reſolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, ſic ut vox ſupprimatur, vel ſanguinis ex naribus curſus, ſic ut corpus frigeſcat, anima deficiat.* Itaq; diſsimulari

Cap. 8. lib. 5. de loc. affect.

Cap. 2.

non poterit totam hanc signorum syndromen illi in esse: unde exploratum habebis cephaleam, quæ cepit ægram, minime ex utero obtigisse per cõsensum cerebro, sed potius per primogeniam affectionem. Huic Celsi sententiæ Aretheus accedit. Rectè ergo conficitur nequaquam per consensum fuisse.

Lib. 1. de diu. morb. cura.

VEnio iam ad secundam primi fundamenti partem. Quãvis aliquando affectus incipiat per consensum, temporisq́; longi, vel brevis spatio, in primogenium posse converti ex Galeni præscripto certum est. *Neq; latere nos debet, ubi lege consortij quis afficitur, fiatq; adhuc affectio, quod deletis ipsam efficientibus causis ipsa quoq; simul deleatur: si vero consentientes partes permanentem iam habeant dispositionem, quamvis quiescat causa efficiens, ipsa tamen permanebit affectio.* Id ipsum iã antea his verbis docuit. *Quippe tunc affectus proprius cẽsendus est, cum permanere in parte quapiam conspicitur; unde si in laterali morbo permanens eveniat delyrium, caput proprium habere morbum perpende; ita ut quamvis lateralis morbus quiescat, possit tamen capitis morbus permanere.* Atq; hæc de transmutatione per cõsensum Galeni. Quid si ex eodem simul per consensum, & per propriam affectionem quispiam laboret?

3. de loc. aff. cap. 5.

2. de loc. aff. c. 3.

Nunc pro medella eorundem, illum audiamus. *Nã per solum consensum (inquit læso cerebro, si ea pars qua*

3. de loc. aff. c. ulti.

quæ primitivo affectu laborat, fuerit curata, priusquā cerebro propria adveniat dispositio, nullum in ipsa relinquitur accidens; quod si ex consensu permanēs aliqua fiat dispositio, tunc non solum parti, quæ primario affectu laborat, sed capiti quoq; remedia adhibere oportet. En Galenum, etiam capiti providentem, neq; semel, sed & de ipsius convulsionis (quæ est genus ad epilepsiam) differentijs agens, capitis curam commendat dicens. *Quod si universum corpus afficiatur, communem originem omnium nervorum infra faciē, quæ arboris caudici proportione respondet, affectum esse putandum est, quę sunt primę spinalis medullę partes, proinde exercitatissimi quiq; medici, huic remedia adaptant.* Et mox subdit. *Si vero simul cum universo corpore facies quoq; convulsa videatur, nō solum eam partem, quę ex spina procedit, verum etiam cerebrum ipsum curamus.* Quamvis enim affectus per consensum capiti, aliunde accidant, ob capitis ipsius dignitatem, optimus artifex plurimum eis providere studet, ne caput laboret: quod, quanti fecerit Galenus, modo per consensum, modo per propriam affectionē affectū contingat, perpēde. *Verum ut iam antea sępenumero monuimus, licet caput per alterius partis consensum afficiatur; affectio tamen nihilominus ipsi adscribenda est.* His ergo Galeni decretis, opere fuit, & iure optimo, capiti, seu parti principi, priusquā utero, sāguinis missione ex brachio subvenire.

3 de loc. aff. c. 6.

3. de loc. aff. c. 8.

 Verum

Verum enim verò cum gravida nūnquam esset aliàs morbum comitialem experta (ut iam antea dictum) concludendus, ex Galeni doctrina, adversarius, sic dicentis. *Cum igitur proprijs accidentibus exactè discernuntur huiusmodi vitia, & perpetua sunt; neq; alijs precedentibus superveniunt primogenia affectione. Cum vero proprijs accidētibus discerni non possunt, neq; perpetuo permanent, atq; ad alias affectiones consequuntur, per consensum ipsa constare dicimus.* Hactenus Galenus. Ex cuius lectione sepius repetita constat, permanentiam verè primogenium cerebri affectum significare; & ab eo, qui per consensum fit, internoscere.

3. de loc. aff. c 5.

Secundū fundamentum.

VLcera illa fetida, seu scleroma; aut œdema dicas, orificij cervicis uteri, in parte conspicua, externaq; nihil cerebro communicasse: fuit enim duplex morbus, ex duplici loco affecto obortus, quorum neuter ab altero dependebat: eorundem vero, nullus alteri consentiebat. An vero externæ inflammationi, in prædicta parte præcesserint ulcera, ut frequentius evenit, sive inflammationē, ulcera postea subsequuta fuerint: præsertimq; in pudicissima fœmina, quę nec cōiugi quidem, morbosam abditam propallaverat affectionem, ut domestici testantur.

Divinandum est, seu potius coniecturis medicis indagādum, cum doctor noster nullas adduxerat:

una

una est, si dolor illi adfuisset ingens, quem ulcera in sensibilissima parte, continuitatem solventia comitari par erat, gravidaq; dissimulare nequierat. Immò de dolore, ipsa nunquam, ut omnes tulerunt astantes fuit conquesta: bona igitur ratione fit, ulcere non laborasse. Præterea fœtor gravissimus ulceris, neutiquam æstatis tempore celari potuit, neq; per diem. Tertia, & si hæc ita non reclamarint, nonne in subuculis, & vestibus, virulenta quædam illuuies saniei appareret? cuius nihil hactenus auditum. Superest igitur, ut existimemus, tumorem aliquem præcessisse, postea vero præ pudore, corruptione, sive necrosi fuisse correptũ, quibus Poëta accidere, ait.

Stultorum incurata pudor malùs ulcera celat. *Horat. lib. epistol.*

Cum igitur ferendus dolor illi adfuisset, potuit tamen illi adesse Pauli Scleroma, quod conforme est scyrrho circa vulvæ cervicem magna ex parte consistens, tumorem quidem habens eadem parte, sed minus durum cum dolore mediocri. *Cap. 14. Pag. 118.* Nisi dicẽdum potius esse tumorem œdematosum, & hoc certius: tumor enim frigidus, laxus, œdematosus est, ut dictum, probatum satis, superq; est, ex totius tẽperamẽto frigido, ac humido, corporeq; oppido cachectico, ut ipse invitus fatetur in historiæ enarratione, quod & subita necrosis planum facit. Pariterq; ipsissima ratio ostendit, in orificio cervicis

uteri

uteri prę partis languore paulatinè congestum vitiosum succum, crudumq; necessario œdema præstare. Quam vero simile sit, colligi potest, ex depravata victus ratione; nam illi universum corpus leucophlegmaticum erat, adeò ut eius crura, necnon suras, magnitudine, & inflatione malleolus superaret.

Verũ, an unicus ex prædictis, an ex his, vel alijs tumoribus fuerit compositus, cognitu est difficile; neutrum tamen illorum indicationem præstitisse, pro secanda in pede utero gerentis vena: tumorum enim natura (quãdo ille certior fuisset, eorum qui aderant tumorum) & gravidatio septem mensium elapsorum, aperte declarant. Vidistis duplicem morbum, & utrumq; per se, locaq; duo patientia, ubi, & per quas vias communitatem externarum partium uteri cum cerebro circa epilepsiam invenit? Fortè quæsivit, & non reperit: ulcera certè in exteriori fatebitur parte. Sinamus modo in intelligibilẽ hunc consensum; atq; in subsequentia transferamus, & de vena in ulceribus putridis secanda, sit sermo præsens: nam in horas, varia de venæ secandæ scopis adduxit, ob putrida ulcera post inflãmationẽ supterfugit; si ulcera putrida gãgrena, vel sphacelo correpta intelligit: neq; in cruribus, neq; in brachijs in huiusce corporis habitu est vena scindenda, sed chirurgo, manualiq; operationi dimittenda.

tenda. Triplicem itidẽ causam gangrenæ legimus: Primum, quia nõ recipit membrum à corde vitam per arterias. Secundo, quando vita in membra recepta præfocatur, ut in magnis inflammationibus, in quibus prohibitur in totum effluvij trãspiratio, & aeris attractio. Tertio, quando prohibitur transitus, atq; influxus vitalis spiritus propter aliquam ligaturam, atq; in summa, vel denegata parti vitali facultate, vel nativo corporis calore, ac tẽperie pereunte. Vbi vero penitus hoc malum, partem insederit, & iam in sphacelum abierit, insanabile quidẽ est. Quorsum ergo sanguinis missio ex talo; si postulans, & scopi absunt? ex quo, duo inferre possumus. Vnum mortis modum, quo videlicet gangrena partem petat, & cui membro. Alterum irrisu dignum esse, ex exteriori uteri parte, gãgrena affecta morbum illi comitialem obtigisse. Si vero putredinem, frequentiorem in febribus, ac inflammationibus præmanibus habitam intelligat, profecto ne ex usu, phlebotomia in pedibus facta, utero gerẽti erit: nam in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio ex adverso respondent, ut Galeno placuit. *ii. meth. c. 15* Neq; est quod cẽseat, in humoribus putridis duntaxat illud intelligi, non vero in partibus inflammatione tẽtatis. Sciat (eodem teste) humorum putredinem, quæ in vasis contingit, similẽ esse ei, quæ

 in

1.de diff feb. c.9. in inflãmationibus fit, alijsq; abscessibus: & apertissimè ab ipso, putredini venæ sectio denegatur, 11 meth.cap. 14. quod obstructio, & putredo non possunt per sanguinis missionem curari.

Tertium fundamentum. AXioma est in arte medica, si quod aliud observãdũ in accessionibus, aut in paroxismis, nos, abstineri remedijs, oportere, nisi aliquod urgeat; tunc enim invitè præcepta violantur. Hæc quamvis Doctor noster sępissime repetit; si semel rectè considerasset, sat scio, multum suo honori providisse. Nam proh Deum immortalẽ, quis vel plumbeus medicus in dantibus inducias paroxismis regulari methodo esse curandum, ignorat? Et in iã iam morientibus, desperatisq; rebus, ad magna remedia ex templo deveniendum? Atq; hæc generosi medici, & arte Hippocratica digni sunt officia, sive dieteticam, sive pharmacheuticam, sive chirurgicam instituat. Verum à dięta ordior. Do-1.aphor.sen. 11. cuit Hippocrates. *In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocuum est;* & *quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.* Hanc sententiam Galenus sequutus, repetit.4.acu-Sentens.39. torum. *Neq; cum iam adsunt, neq; haud ita multo post affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est: sed cum declinant, aut cessant.* Quæ Galeno interprete, intelligenda sunt de regulari dięta: quod si casus aliquis intervenerit in vigore ipso, robur naturæ dissolvens,

vens,

vens, nutrire cogimur. Et modo; *Fingamus exempli causa & afflicto ventriculo, syncopem incidisse, cui succurrere coacte, & cibum intepestive dare, & vinum cum frigida*, sed ipsum intelligendum in pharmacis 11.
est, aut medicamentis exhibendis. Medicina enim; quæ medicamentis curat, paroxismos respicit; & nefas esset in accessione purgare; nam quod pharmacum petere poterat, extra venas, in habitũ corporis effunditur: verum si materia turgeat, tardare 4 aphor. 10.
in talibus malum est.

Ad chirurgiam, sub qua venæ sectio, accedo: in qua ob prædictam rationem, in paroxismis venam haud solvere licet; quod afflictis, venæ sectione, eo tempore, datur afflictio. Cornelius tamen Celsus, *in paroxismis sanguinem mittere, iugulare esse docuit*, atq; scarificatas cucurbitulas, venæ sectioni præferens in paroxismis: hæc eo famosa, quo utilia verba scripsit. *Ut minus efficax; ita magis tutum.* Demũ in paroxismo epileptico mittit sanguinem. Elegãter tamen, idipsum docuit author commentariorum in librum Hippocratis de salubri dieta, ad hunc modum. *Solamine potius opus est, quam vi in paroxismis: expectandumq; est remissionis tempus, & in eo vehementia, cogentiaq; remedia non sunt assumenda. Ubi paroxismi incidecint, lenientia, quẽadmodum enim feræ valde agrestes, si quis eas placide adeat, blandeq; demulceat, mansuetæ redduntur; si vero ex adverso* De salubri dieta.

 ipsis

ipsis irascatur, viq; adoriatur agrestiores efficiuntur. Ita morbi, quodammodo agrestiores fieri, si quis eos in paroxismis soletur, & mitiget, leviores, & mansueti evadunt; si vero se opponat, vimq; inferat, excitātur, & exacerbantur. Hactenus ille, & satis solerter: nā cum evacuatio sit remedium previsorium, & quod debetur causis, atq; inter ipsas primo, præcipuæq; antecedentibus, à quibus ordinata exorditur curatio (coniunctę enim causæ alijs auxilijs deleantur) fit ex artis pręceptis, ut blandiamur in paroxismis, atq; dum licet extra paroxismos venas aperiamus. Verum enim verò; cum vel ob omissam occasionē commodiorem, maximū vè laborantis morbosum apparatum, paroxismus utiq; ægrum, atq; medicū urget. Medicus in medicina bene instructus, si non ut vult; ut potest, ad causam accedit coniunctam; sicq;, in paroxismo utitur venę sectione, coactè quidem, cum multa fiant in præcipiti, quæ aliàs essent omittenda alias, quærit, non quas in cura regulari, quo ultra accessionem secat venas. Sic enim tempore veris, cum Galeno (vel quocumq; alio tempore) collecta fuerit in corpore plenitudo pituitosa, vel melancholica paroxismum commissura, atq; sub specie causæ antecedentis se se nobis obtulerit, tunc regulari (inquam) utimur venæ sectione illo suadente. *Comitialibus vero morbis, ac vertiginibus obnoxios, potius ex cruribus.* Atq; etiam si aliquis, vel

Cor. Celsus.

plures

plures paroxiſmi invaſerint, dummodo remiſsionem futuram ſperantes, in paroxiſmo ſanguinem mittere, fatuum eſt. Quare Simia Galeni Paulus, poſt acceſsiones ſanguinē ex cubito mittit, ſi nihil prohibeat;& rurſus,aggredietes curationem,ſi nil obſtet,ſanguinem mittere. At ſi maximus eſt paroxiſmus epilepſię paruaq; apoplexia,cuius ſigna ſuperius tradidimus,quantumvis per conſenſum incipiat (iterū repetam) ſi venæ ſectio ſit exercenda; propter cauſam coniunctam, ferè iam enecantem, venæ brachiorum proculdubio ſunt inſcindendę, præſertimq; humerales,utendi modo à parte ſumpto. Sic nāq; humores in cerebri ventriculis,eiuſq; venarum cavitate cōgeſti,exceptiq;,eo uſq; cumulari ſolent,ut non ſolum vētriculos opleāt,ſed etiā venarum interceptionū,fiunt effectores: quo circa facultati animali, & ſpiritibus impedimento ſunt, ne ad inſtrumenta ſenſus,& motus voluntarij deſcendant: unde thoracem ſuo motu obſtari, eſt neceſſum, & mox hominem vita. Quæ ergo tunc ſecanda vena? num calcanei? aut quam utilitatem, in hoc tumultu ægræ per inſtantia morienti, ſanguis ex talo detractus adducat? nullā exiſtimo. Tandēq; ex diſtinctione venæ ſectionis in paroxiſmo, aut extra adminiſtrata,ellicitur apertiſsime, ſi indicationum peritus ſimiles invenerit caſus, teneri humeralem venam ſolvere, quamvis nulla ſit gravi-

Cap. citato.

orbari

datio,

datio, cui quàm prospiciendum sit, in medio relinquo.

His statutis, planum est dextrũ, rectumq; nobis fuisse, in mittendo sanguinem ex cephalica gerẽtis utero, usum: quandoquidem præter indicationes, coindicationesq; tempus opportunũ captavimus; qualitatem, quantitatẽ selegimus, quibus tota methodus medẽdi perficitur scopis, de quibus in præsentiarum non est sermo, sed dumtaxat de modo utendi, ex quo orta est controversia: qui rationem adhibendi remedia indicat varijs differentijs; cui etiam locus evacuationis subest. Hoc ergo cõsilio, gravidæ depravati motus cerebro non lege consortij affecto, laborante itidem orificio cervicis uteri tumore, unà cum ingenti febre, venę sectionem ex brachio fieri, non ex pede declarant. Quibus medendis ad duo potissimũ intentum me esse oportuit, tum ad eum, qui in partem influit humorem, tum ad illum qui iam parti hærebat, in eamq; incubuerat. Cumq; cerebrum humoribus offertum depræhenderem, eorum vacuationem per venæ sectionem profore putavi, ut ocyssime illi subvenirem, maxime cum pro dignitatis parte urgentior alio uteri, capitis affectus sit: quãquam commune, pariterq; sanguinis missio utriq; remediũ existat; eo tamen discrimine, ut ex utero, revellat, è capite evacuet, ut ex Galeno passim liquet. In capitis affe-

ctibus cephalicã semper eligente; quodq́; evidẽter ex venarum constat inspectione; atq́; ex historia ea narrata, secundi acutorum: ubi ita; *Non immeritò igitur humeraria superiores clavicularum partes, easq; quæ, & in collo, & capite existunt, tum magis, tum ve locius evacuat.* Ob idq́; in huiusce epilepticæ affectionis medella, humerariã tundendam esse volui, non tunc fluxionis remediũ, sed affectus occupantis iam mẽbrum quæsivi. Probat hoc Avicenæ sententia; qui phlebotomiam ad epilepsiæ curationẽ, *Primum ex duabus simul cephalicis, deinde ex vena, quæ sub lingua existit faciendam docuit.* Hũc accedũt Paulus AEgineta, atq́; Cęlius Aurelianus, hic lib. 1. diuturnarum passionũ sic inquit. *At si nulla fuerit corruptionis, vel indigestionis suspicio, erit statim adhibenda phlebotomia, moderata detractione, ex brachio, scilicet; sed cum præcautione animi deffectus, quẽ Græci Lypothimiam vocant.* Hęc Aurelianus: nec sine ratione, quod statim faciendum monet. *Nam cum morbus comitialis futurus, sit brevißimus, vix ad statum secundo paroxismo veniet, nunquam vero ad declinationem; à prima statim acceßione venam secare opportet.* Hactenus ipse. Perpende quæso permanẽtiam symptomatis motus depravati, atque in apoplexiam transmutationem, exitiumque imminens, quod quidẽ multò magis in ipsa; cuius plenitudo, vel cacochimia (ut in plurimis utraq; certissima)

Com. 10.

repe-

reperitur, pertimescere iure optimo opus fuit, & quam citissimè, his de causis venam externam aperiri.

Insuper, eandē venæ sectionē, præterquā quod è capite evacuet, ex utero etiam revulsionem præstare, certum est, ut ex Galeno constat, secundo ad Glauconem. *Veluti in locis muliebribus retrahes, si eas quæ in cubito sunt, secueris venas.* Per inde quinto methodi ait. *Revulsio enim in his, quæ supra sunt, omnibus deorsum semper agitur: sursum in his, quæ sunt infra.* Ideo in apostemate genu, secundo ad Glauc. sanguinem ex brachio hausit: & libro etiam decimo, de compositione medicamētorum secundum locos: in coxēdicis dolore detrahit primo sanguinem ex giberi vena.

Cap. 2.
Cap. 3.
Cap. 3.

Non secus Paulus, & Aetius uteri inflammationibus medentes, facere consuevere, illis enim exhaustis, coerceri fluxionem est opus; nequaquam his, quæ in pedibus sunt, inanitis. Quum pudenda laborant, venas aperire opportet, quę citius, & magis vasa maiora exhauriant, ne humores à partibus principibus, in debiliores trudātur. Hæ sunt sanè, quę in cubito offenduntur, ijsdemq; sectis, revulsio ex utero fit, non vero ijs, quæ in pede sunt, veniet. Neq; obstat dicere, venam internam in hisce affectionibus, illos tantummodo aperuisse, non vero externam. Respondeo, utriq; conferre pariter re-

vulsio-

vulsionem; quippe cephalica, uti basilica, & thoracica ab axillari ramo prodeũt, at axillaris à subclavio, atq; ab ijs azigos vena, & tandem hæc à venæ cavæ ascendentis caudice. Ergo attentè revulsionis gratia, solvere cephalicam, ac si basilicam totuderim, curavi, ut potè ab axillari ramo; in quem hæc tria vasa coeũt, sanguinem ęquè detraximus: quod ex venæ cavæ ascendentis stipe, utramq; evacuare, consonum est. Sed quid moror tanta probatione, si pudendi labia, & rima magna orificium cervicis uteri operiẽtia, eo visa sunt tumore in gravida dũtaxat tentari? non autẽ uteri substantia, ut sibi falso Doctor noster credidit, seu potius finxit, ut epilogismum disputationi commodum patraret, ex quo argumenta depromeret, quamvis non dubitarit, in caducum parietem (ut aiunt) sese inclinare.

Sed ad rem veniamus. Quis, & si ingenij hębes, ubi febris ingens ex synochorum genere gravidæ acciderit, unquam hęsitavit putrescente adeò humore, ad venas, quæ inter inguina, & alas sunt, brachij venam scindere? Perinde facere, ęquum est, si febris accidens ex tumore (non pestilenti) quemcumq; locum obsidente, accidat: quo fit ut sartum, & tectum, ab omniq; corruptione, fętum conservemus; secus autem, ex talo misso sanguine fit, infanti enim, matriq; fatiferũ est. Cumq; sanguinis missio gravidis administratur (quod maximum remediũ

 est)

est) medici est nō solum illis insistere, quæ eam indicant, verum etiam impedientia, & contra indicantia diligenter attendere, quorum nullum in fęmina inerat, si quod esset impedimenti, uteri gestatio censeretur: sed hęc nusquā inter sanguinis mittendi scopos, sive prohibentes, sive contra indicātes à Galeno, nemineq; fuere proposita. Idq; omnibus, quotquot sunt, neothericis, in cōfesso est. Ergo præcognito affectuum plurium complexu, reputatisq; eorum ideis, atq; causarū differentijs, necnon urgētia, exactè curationē susceptam venæ sectione brachij explendam fore existimavi, ut potè omnibus urgentiori, sive affectus, sive causæ rationē habenti, primum occurrendum; alijs tamen non spretis: quod sola sanguinis misione, in omnes pariter quadrante affectus, citra abortus periculum exequi potest, siquidē morbis prodesse, & non nocere medici ratio est. Atq; hæc est methodus è apicibus medicinæ, cui nemo quanquam sufęnus reclamabit.

Hipp. 1. epid.

De hoc auxilio, eiusq; utēdi modo, tunc, & nūc disputatio est, neq; circa aliquid aliud, disidium inter nos esse potuit, cum eodem die à me conclamata ægra, à curatione abierim, & doctoribus alijs relinqueretur cōmissa. Superest modo, ea refellere, quæ adversus nos publicitus quatuor Articulis dixit: quorum in præsentia quarto tantum respōdere decrevi, nam ex reliquis, quamvis accuratè purgētur,

tur,

tūr, videor mihi videre, parū aut nihil fructus usui medico, vel cuilibet, posse erui: ob idq;, ut titiuillitia, lubens prætereo, atq; ad illa accingor, quæ in quarto sunt, ut dirimātur omnes eius peralogismi, ac scribendi vitia, quod tota rei propositæ veritas aperiatur.

Quo circa operæ prætium fore putavi, universim primo vitia proponere, privata vero suis locis relinquere. Quale sit opusculum, qui illud oculis petierit, planè inveniet, undiq; inconcinnum, cētonisq; ritu conscriptum, ac uti cornicula AEsopica, alienis indutum pennis, emēdicatis discursibus, ac longe petitis contemplationibus, satis plenum; ut gloriam ex maioris studij, atq; laboris ostētatione aucuparetur. In ipso itidem seriem, & connexum orationum desiderari, quibus abunde sunt stribiligines, multæq; palleę, granum nullum, atq; doctrinæ inopia (si qua est) ultra rem adducta; his tot peccatis haud ipse quidē scripserat, ni Titanæ adventarent. Insuper, & circa affectum, eiusq; locum, millies palinodiam recantavit, ac non erubuit epilepsiam lege consortij comminisci. Deniq; consulvit remedium, & cum in deliberando, sępe animus in diversas partes distrahatur, quasi perplexus stitit, nesciens, cui primo, sive pariter sanguinis missione, opem ferret; nū cerebri affectui, aut obstructionibus uteri, vel pudendorum sphacello. Siquidem

 dem

dem fassus fuit, utriq; profore simul, quod quàm dispar sit, aliorum esto iuditiū. Sed interim valdè doleo, ut isthec omnium cachinis, & sannis tā magnus Doctor exponere voluerit. Præterea nō minus redarguendum est, quod cum cane peius, & angue fugiat inflammationem, neq; ultro admittat: & postea maximam opusculi partem uteri inflammatio occuparit, ne dum parturientium, aborteneiumq;, sed etiam utero gerentium, ac non pregnantium. Bone Deus, quæ nam est hæc vertigo? aut quorsum adducta tam prolixa inflammationis enuntiatio? maxime cum gravida ex muliebrium retenta purgatione, aborsuve non laboraverit, sed convulsionibus, quibus partum abegit. Quid quæris? In toto commentario, saphonæ sectionem, uti *mirandum præsentaneumq; remedium esse* (*ut ipsius verbis utar*) *morbis uterinis ostendit, atq; menstrua provocare, miracula efficere*. Et mox fortassis sui immemor, sibi non constat; & eum non teduit argumēto Horatij Augenij, neutiquam ad institutum attinente, adversus nos uti, & quasi plumbeo gladio voluisse iugulare. Atq; hæc sint satis de universalibus prolationibus, ad particulares modo descendamus.

Tex. primus. In exordio quarti; ex *sententia omnium medicorum; immo ex veritate, ita scripsit. In affectibus, qui supra iugulum sunt secabant externam.* Verum textu 52. huius sententiæ oblitus, sibi met, & omni scholę

contra-

contradicit ad hunc modum. *Humeralis venæ insscisionem, eo tempore inutilē, ne dicam pernitiosam fuisse: nam præterquam quod talis insscisio humores ad superas partes advocabat, nihil ex capite, aut parum potuit evacuare, & subiectas partes revellere posit.* Hæc. Doctor singularis tractatus, cui merito contradictionis nota adscribenda.

Licet de renibus non eandem sententiam ubiq; observasse visus sit Galenus. Tex. 2.

Distingue tempora, & cōcordabis iura: revellit primum, postea derivat, eandē mentem observavit sexcentis in locis. Sed quorsum hæc de renibus? R.

Verum ad rem nostram, sat est me dixisse, in uterinis affectibus ad venas inferiores illum devenisse. Tex. 3.

In inflammationibus uteri, sicuti ijs, quæ renibus fiunt, fluentem revellere, & fluxum derivare est opus, neq; contra, gnarus homo, methodiq; peritus deliberare potest, præsertim in utero gerentibus. R.

Quanquam AEtius, & alij nostris temporibus, ex brachijs evacuationes primum inceperunt in inflāmationibus uterinis, in principio existentibus. Tex. 4.

Scias (si ignoras) maiores AEtio, & posterioribus, uti sunt Hippocrates, & Galenus, ubi locis muliebribus insunt affectiones, posteritati propagarunt, manus venam solutum iri. Malè ergo AEtiū, & alios, nostræ tempestatis medicos, huiusce utēdi R.

 modi

modi authores primos efferre, voluisti. Neminem ergo latet deveniẽdum esse ad causam, eiusq; principium, nempe fluxionem, quæ in doloribus, & inflammationibus, affectibusq; rheumaticis, causæ rationem sustinent. At hæc, certo tanti Doctoris fabrica iacta fundamenta subolet.

Tex.5. *Vnde fortasse arripuit occasionem Hieremias vituperandi hodiernum usum in sanguinis evacuationibus.*

R. Neq; eo secius cogitavit Hieremias, phlebotomias sub cane, & ante canem faciendas, ut vindicaremur à calumnia: sicq; perperam adducitur, cum revulsurus medicus partiri teneatur, evacuãs vero eodem die totum educit: cęterum qui indicationibus indiguerit, Andabatarum more procedit, ac frustra leget; & allegavit Doctores alioquim doctisimos.

Tex.6. *Verum utcumque res se habeat, sat est intelligere uterinas, & partium infernarum affectiones gaudere evacuationibus, infernis partibus factis.*

R. Attendite, amabò, iudices, quam cęcutiat in re facili, videtur sanè, à recta medendi via omnino avius. Vult enim eundem calceum omni induere pedi, ut cum pregnantibus, & abortientibus, tum parturientibus, & non gravidantibus citra discrimẽ męderi studeat, secta vena poplitis. Proh sancte Deus: quo te tullit tantus error, vide meliora, probaq;, in quibus (me vide) nihil periculi offendes.

Quo-

Quorum ratio, & fundamentum hoc est, quod nulli-bi gentium, uteri aborsus provocandus sit, immo fugiendus omnino. Tex. 7.

R. Et verò sanctè cõscitũ, observatũq; pregnantiũ inferiores venas solvere nõ licere; quominus aborsum facerent: nobis quidem nefarium, aliter ego subditum Aristotelis exemplum æstimo, ut quàm distantissimum à proprosito; cuius verba hæc: *Nã postquam concepti sunt, & sensum, & vitam acceperunt, nefas est attingere eos,* ex his igitur cõficis, ante sensum, & vitam scelus esse immaturè fętus ciere partum. Mens utiq; Aristotelis (bone vir) alio tendit. Nã fętus, qui venæ sectione, alia vè de causa medicè præscripta ab utero fiunt excussuri, sanè iuxta medica decreta, & experimentũ oppido peccant. Itaq; philosophus in nos non quadrat: quod tantum Reipublicæ conservandæ modum consulaverit, ut ne imposito generationis numero filij superessent, & præ multitudine amandarentur, patresq; inopia laborarẽt. Quo circa si ultra modum procreari acciderat, abortionem ante sensum, & vitam, prisco more, tunc permittebãt. Sed quo hæc spectat Aristotelis fides?

Addunt præterea antiquissimum esse gentibus omnibus, aborsum esse invisum, & detestandum; immo, & leges, & iura graviter insurrexisse semper in eos, qui aborsum solicitarunt. Tex. 8.

Hæc

R. Hæc omnia redundant, & extrà callem allata; neq; enim illa, quæ de venenis, neq; de pesso (ut arrogat Hippocrati) hic locum habent; ex quibus ad saphenæ sectionem fugere, nō licet: nam primum, ad causam per se fœtum provocantem attinet; alterum vero ex accidēti, ideò captiosè agere videtur: quippe rem interpretari, in qua nō eadem versatur ratio, sophisma est, eorū quæ in re dicuntur secūdi generis. Et vero, quæ deinceps subnectit, nihil ad institutum attingunt; quare perperam adducta, & suis authoribus relinquenda.

Tex.9. *Vnde factum est, ut ex decreto omnium medicorum, hodierna die eas venas eligere opporteat, quæ vel nullam, vel minimam cum utero, & venis quæ illic sanguinem differunt, habent communionem.*

R. Refert adversum se, quam pro me facit doctrinam, cui nō satisfacit, neq; ulli maximè obiectioni respōdet, quamvis suo usui accommodatam adhibere solutionem, tētarit, nihilominus actum egisse videtur; & sine causa tot Doctorum authoritates extulisse.

Tex.10. *Medico semper observandum, dum morbis præsentibus medetur, aut futuros timet, aut status naturalis conservationi incumbit, ut scilicet consideret humorum in corpore existentium motus vergant ne benè, vel malè.*

Hoc membrum divisionis, ultra omnem artem medicam

medicam disputationi affinxit, in quo quidē nullæ sunt malæ delationes, omnia enim benè vergunt, in statu naturali: nam si debita quātitas, & qualitas humorum est, neq; mixtionis lege peccaverint, qui potè, ut consideret in statu, naturali delationes? Errat quidem multiplici nomine, quod sanorum doctrinam ad ægrotantes, laborantiumq; ad sanos transtulerit.

Si enim ex partibus præcipuis, verbigratia ad evacuationis vias, aut aliquam nostri corporis partem, quæ infimæ notæ sit, & servile agat officium; ut sunt emunctoria, &c. Tex. 11.

Quid deinde ex tam laxa serie doctrinæ? sineq; ad emunctoria effluxerit humor, neq; in uterum: frustra repetit conferentiam, & tollerantiam, nam non in cerebrum ex utero fluxit, sed ex cerebro epilepsiam oboriri. R.

Quanquam aversionem docet Galenus diversimode faciendam, aliquādo enim ad distantißimas partes tale opus præstat; aliquando ad contrarias; etiamsi multum dißitæ non sint; aliquando vero ad fluxionis originem reductus, revocatisq; succus, unde scilicet prius diverterant. Tex. 12.

Morosus, atq; etiam obscurus in aversionibus tradendis existit, quare nimius iudicandus, & iure arguendus: cum fienti, & facto sit, in maxima urgētia confestim occurrendum. Audet ad distātissima R.

revulsionem in buccam accipere, & typis mandare æquius audiet, *Alius peccat, alius plectitur.*

Tex. 13. *Illud etiam, non minus in fluxus medella, considerare opportet: immo imprimis ante omnia, quãtum scilicet in partem fluxione tentatam irrepserit, quantum vero transmittendum restat.*

R. Si hoc ita est, ad quid ad distantissima revulsio? ne mens quidem mea, tua sensa capit, nisi existimẽ te chartam rerum farragine explere voluisse, cum unico verbo, sive indicationum principio, omnia absolverentur.

Tex. 14. *Si enim quod influxit parum est, multum autem in parte transmittente, dimittendum; eo tempore magis animum ad id quod fluxurum est, quam ad fluxum convertere, opportet.*

R. Hoc argumentum sępissimæ pleno extulit ore, ac nescio, quid ita: quod nemo pro eius solutione, quanquam in medicina stipes, unquam dubitavit. Quomodo nam intelligatur, audias. Si partem quã acerbè morbus exercet, principem esse deprahendamus, tunc proculdubio, & si parum exceperit, nõ est (ut medicinæ olim professor autumat) dimittẽdum; sed illud potius adimẽdum citius: vel saltim fieri potest per sanguinis missionẽ; & fluxuro præpedire, & effluxo simul vacuare, ut Galeno significatur. Verum si pars, quæ afficitur minoris sit originis, tum sanè maior est ad affluxurum dirigenda

Com. 10. secundo de ratione victus.

opera,

opera, quam ad affluxum, ut amandatis vim arceamus.

Nam hæc est motus cuiusvis natura, ut moveri mutatum esse sit annexum, ut calefieri, calefactum esse; solutioni solutum esse demonstravit Aristoteles. Tex. 15.

R.

Quid tum, si præcedere dicat Philosophus, aut eius interpretes, si quanti sit faciendum, quod in parte contentum doceat Hippocrates, cui solummodò standum? *Dicitq; lateris dolorem, sive hic per exordia fuerit, sive postea obortus sit, tentare calidis fomentis, non ab re esse*; & citra dolorem, si fortè contentum existat in parte principe, pari passu procedendum est.

Id autem quod transmittendum restat consideratione maxime, & attentione indiget, atq; urget, promittes in posterum læsionem maximam in parte suscipiente. Tex. 16.

Quantumvis laboret circa urgentia, alterum non negligendum invenerit; & si res bene inspiciatur; in inflammationibus, & morbis cerebri, ac partium principum, vel deservientiũ, licet plus transmittendum restet, atq; sub specie causæ antecedẽtis, exigua tamen portio coniunctæ causæ obruit, ac perimit, unde quam ocyssime delenda est. R.

Quare ad inhibitionem fluxuri humoris, occasio tunc captanda est, celerrimeq; revulsioni incumbendum. Tex. 17.

Erubesco, Deum testor, hæc legere: fluxi enim, fluentisq; humoris immemor, fluxuro solum vult R.

succurrẽdum fore; & in quo ex affectibus uterinis? amphibologiam admittit.

Tex.18. *Quo enim quis ab initio sibi infestißimo, à quo maxime timet de morte sibi inferenda, longius distat, eo securius degit: sic profecto, quanto quis in influentem humorem. &c.*

R. Hæc comparatio medici est fugacis, non strenuè curantis, neq; in curatione morborum, locum habere, sed in præcautionibus: at in valdè acutis quã mox accedendum, & faxit Deus ne sero fiat, cum sępius tarde vocemur.

Tex.19. *Atq; ita dictum, intelligo præceptum illud Hippocratis dicentis: quasdam esse morborum accesiones, in quibus tutius quam celerius, & alias in quibus celerius quàm tutius sit agendum.*

R. Hoc præceptum falso Hippocrati asciscit; neutiquam enim lecto ab initio usq; ad calcem primo de morbis libro, illud inveni: fortaßis ipse inquietè pervisum, in Hippocrate vidisse putabat; sed esto, ut sit, neminem fugit, in acutis celerrimè subveniendum; in omni deniq; morbo, quoad fieri potest, citò, & maturè curare, est opus.

Tex. 20. *Qualem animo concipio, eam fuisse convulsionem, quæ Dorcadi contigit.*

R. Hæc historia præter institutum refertur, nam Dorcadi non fuit (quia levis epilepsia) opus sanguinis misione, perinde ac in nostra ægra, quę quã

citißi-

citiſsimè ea indiguit.

Neq; poßit alia ratione ſubveniri, niſi ſubſtractione furioſa materiæ in utero exiſtentis, tunc ex talo, ſanguine miſſo, ea quantitate, quæ redundanti in utero ſanguini correſpondeat. Tex. 21.

R. En epilepſiæ cauſam, ſanguinem in utero contentum cenſet, atq; illius detractionem, epilepſiæ medellam; & poſtea, iterum, atq; iterũ ſentit. Quid alibi ulcera putrida in orificio uteri colli, vaporeſq; eorum caput ſcandentes, epilepſiæ cauſam ſtatuit? & me immerentem accuſat.

Deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Talem curandi modum probant mille Hippocratis, Galeni, & aliorum ſententiæ antiquorum. Tex. 22.

R. Quæ nullius eſt conſilij, hominis ſententię, Galeno, Hippocrati, & aliorum antiquorum ſententijs aſciſcere temerarium profectò eſt; ne dicam nefarium. Quinimmo tam deteſtabile remedium ſemper in pregnantibus, tanquam impium ab animo auerterunt; ut ex ſuis decretis manifeſto conſtat. Præterea neq; ratio, neq; experientia, & in numerę ſimilium rerum obſervationes illud unquam probarunt: quoniã nullæ ſunt, neq; fuere: & ſi quæ ſunt à te malè periclitatę, tuę opinioni obſtare, magis quam favere videntur, ut poſtea monſtrabo.

Atq; imprimis ſtat Hippocratis ſententia, huic noſtro inſtituto confirmando, haud parum conferens, ubi Tex. 23.

 ita

ita scriptum reliquit. Occasiones unde quis ægrotare cœpit considerare opportet, &c.

2. Epidem. part. 1. text. 40. Et. 6. epidem. part. 5. tex. 18. Hippocratis sentẽtia magis mecũ, quàm pro te facit: nam plures sunt causę, cur pars laboret, & singulę ob occasionum diversitatem, peculiarẽ quandam medendi rationem, & sua quoq; remedia expetunt. Quo circa opus est, eas primum, & differẽtias etiam causarum, tam internarum, quàm externarum interstinguere. Ad hæc, quæq; internæ sunt, num per consensum accidant, vel per primogeniam affectionẽ nasci debeant: ut nobis sit, certa loci affecti notitia, morbiq; causę principij, optimã curandi methodum in euntibus. Hæc tantum fuit, (eo loci) Hippocratis mens, nostræ cõiecturæ potius, quàm tuæ studẽtis. Si enim cerebrum ut crevi tunc, & postea patefeci, non lege consortij fuisse elatum, primo considerãdo impetus, sive affectionis occasionem, non aliunde quàm à cerebro oboriri, fabrè ergo factum fuit, & conforme menti Hippocratis.

R.

Tex. 24. *Verum libet huic nostræ tractationi historiam ancillæ Estimargi inserere, quod scio huic nostræ instituto maxime conferre.*

R. Sed iam ingreditur Estimargi famula cum suis tremoribus, cuius historiæ sine causa prolixos scribit commentarios, & citra usum, ut chartas impleret: quippe illam Estimargi, recẽtio vexabat puerperij,

perij; & omnia in talo venam aperiendam suadebant: At in nostra ęgra omnia renuebant, tùm quia pregnans, tum quia urgentia diversa erat, ut tibi constat, nisi flexo pectore asseras.

Nisi ex parte, quæ minæra est, & fluxus fomes, Galenus sanitati restituit, quēdam puerum epilepticum ex synapi, & thapsiæ applicatione, & ligatura forti supra crus. Tex.25.

Dicat quæso, est ne minæra alia in corpore? dicet; si arte loquatur esse multas: modo inquiro, incohabitur, ne curatio ab illis? error erit maximus: potissimum quia concordem esse omnium medicorum consensum, asserit. Sed si paccato animo, & non tumultuario nos audisset, & apud Galenum legisset, certo sciret, nisi primum universo corpore vacuato, medicamentum ex thapsia, & synapi, parti non esse adhibendum. At & si Galenus (non ut callidè adducit) oblitus fuisset, est etiam principium ęquè suscipiendum, non accedendum ad partem, nulla de toto habita provisione. Hoc ignoscat, & verum tenebit. Id ipsum sentiendum est de Traliano, & de quovis Doctore, & hæc est concors sententia, quo absoluto opere, totoq; evacuato corpore, ad partem accedere liceat. R.

Cui sententiæ adminiculantem habemus Avicenā sic dicentem: Et similiter advenit mulieri pregnanti epilepsia in impregnatione, cumq; deposuit, & evacuat mate- Tex.26.

materiam menstrualem, & removetur illud; &c.

R. Non Avicenæ sensus in nostrum rei præsentis institutum facit, ut potè non pregnantibus menstrualem materiam vacuare per saphenam consonum est, ut deleamus, quod in causa est vaporum caput irreptentium, efficiẽtiumq; morbum comitialem levem: unde Avicena hoc in loco commodam esse enixis subeuntibus epilepsiam per cõsensum huiusmodi evacuationem: quoniam materia in venis uteri contẽta, ex qua proficiscuntur vapores, exinanitur. Longe ergo distat ratio Avicenæ à nostra; nam in gravida (nõ ut in enixa) reputandũ; cum levis non fuerit gravidæ nostrę epilepsia, neq; per cõsensum ex obstructionibus orta, sed cerebro primario affecto. Quare perdidisti operam in referendo Avicenæ locum.

Tex. 27. *Medella quę debetur propositæ affectioni, est evacuatio, & deductio sanguinis in utero exultantis: ergo sanguinis mißio, si quę in affectu proposito debeat exerceri, & fieri; infernarum venarum venit exercenda.*

R. Sophisticum argumentum hoc: antecedẽs enim peccat: Primo, quoniam ut dictum est, non accedẽdum subito ad partem, neq; ipsa venæ sectione, alia vè evacuatione: secundo exinanitiones sunt faciendæ fluenti, simulq; fluxuro, quod ex brachijs potissimum in utero gerenti exequitur. Conclusio est falsa: nam ut ipse in sequenti pagina probat, *ad*

rectè

rectè cienda menstrua; prius Doctissimi medici (quos nunquam ad dementiam venisse scimus) basilicas secuerunt.

Non igitur rectè conficitur; est conquirendus exitus mẽstruorum; incipiendum ergo à pedibus. Præterea male etiam infert argumentum ex hypotesi falsa non enim pariter sanguinem trahemus pregnantium ex talo; ac eorum quæ solum obstructionibus laborant, citra gravidationem. Igitur argumentum ne pilo dignum esse videtur. R.

Timent enim, ne maxima humorum copia, & plenitudine in corpore existente, si sanguis ad infernas partes advocetur, obstructiones oboriantur; & subito, & confestim sanguinis facto ad venas, quę in utero sunt confluxu. Tex.28.

Decanus omnes flocci faciens perpendat; cum in publicum exierit magis lucernam olêre: sunt enim Metij multi in quorum aures descendat. Hæc dixerim, quoniam mutuatis rationibus (si Dijs placet scribendi impos) undiq; agit, atq; indeffinitè perpetuo argumentatur. Nam in contingentibus propriam cuiq; rationem neutiquam aptare vellit; sed pro suo arbitratu, quæ universim considerãda veniunt, cuilibet absq; distinctione adhibet, & privatim quod alijs alia ratione expedit, gravidis etiã conferre putarit. Proinde non mirum, si ijs quæ utero non gesserunt, aliqui medici in metu sint, so- R.

lutis brachiorum venis, ad eas quæ utero sunt, cō-
festim irruant humores, sibi affectātes viam exitui
vitiosi humoris dicatam, ut uberius erumpant, ex
talo sanguinem trahūt. Verum in gravidis octavo
mense non perinde censendum: nam humoris co-
pia non descendit, neq; obstructiones efficit, neq;
ipsa deleta sanguinem ad inferas partes advocat, ut
Doctor ait. Sed eum animadvertere oportet, lōge
distare humoris advocationē, per saphenæ sectio-
nem, factam à trāsmissione, sortita ex plenitudinis
evacuatione. Quoniā hæc à natura fit protrudēte,
illa vero successione ad id quod evacuatur: quo-
modo crassus sanguis, qui ora vasorū occludit, ex-
hauritur, & repētino sanguinis motu, doloreq; tor-
pens expultrix irritatur, & ad functionem assuetæ
evacuationis suscitatur. His itaq; de causis menses
cientur, dispari tamen modo, nō ut tibi persuades;
sed utcumq; sit, in hoc, ut in reliquis, res alias agis.

Tex. 29. *At hæc Galeno indubitabile ratum, stabilitiumq; est symptomaticis affectionibus, quæ talia sunt, neq; curationem deberi, neq; eorum causa curationis ordinē immutandum esse.*

R. Ne AEsopum quidē triuerat, qui symptomata
exposcere curationem; nisi urgentiæ causa putarat.
Quid inde adversum nos? Motiones enim gravidę
depravatas, continuasq;, & in apoplexiā migratas,
urgere illi, aut non; dicat exitialis symptomatis
eventus.

eventus. Insuper delicato iã Galeni precepto, rato, stabilitoq;, mox subdit. *At epilepsia ex utero, aut ex qua vis alia parte emanans, rationem symptomatis habet; ergo curãdi norma, & principium debet esse à parte primo affecta, quæ transmittens est.* Elegãs sanè argumentum, à supero quodam genio reor fuisse proditum, citra fallaciã, & omni arte syllogistica plenũ, non à dicto simpliciter (ut alij faciunt) ad secundũ quid argumẽtatur; tandem concludit, & teneri fateor: heu me miserũ, quid agam? musare opportet, aut dare terga: sed tutius est tanto argumẽto faces submittere. Postea ijs annectit prolixè Galeni monumenta, quæ si ad rẽ spectassent, non dubito quin disputationi conferrent; ac tãdem laxo parergone revocat conclusionem. Erubescat is medicinæ, atq; aliarum sciẽtiarum gnarus, crambem recoctam toties apponere, ne fastidium lecturo afferat, tempusq; in nihilo extrahat.

Galenus refert, antiquos medicos eas febres, quæ citra alicuius particularis membri inflammationem consisterent, ex sola humorum putrescentia in venis existente, febres simpliciter appellasse, aut febres morbos: eas autem quæ ex inflammatione alia eius particulæ dependerent, quales sunt pleuriticorum. Tex. 30.

Tempus in dividendis febribus, hic (quod aliàs facere opporteret) & in alijs ultra modũ scriptis, ineptè eximit. Lingua quidem segnis (ut aiunt) sed R.

dextra vigeat Decane: & paucis verbis fac opus ad ſtylum, remq; pervenire. Quorſum tã multa, ſi nõ talia? nihil utiq; in toto opuſculo eſt, ſtrigæ ſimile, ſed rerum diverſarum mixtione conſtitutũ: ex quibus uti labyrinthio me extricare non poſſum, ni Teſei filo. Quæ dum refutare cupio, & pauli momenti ſint, quid dicam, quid vè geram neſcio: an tacitum relinquam, an chartas (ut ipſe) acerare audeam. Num mihi licebit, ut illi apud Sirenas, aut Lorophagos hærere? Qui vero legerit ab exordio pagi.54. uſq; ad.58. tempus ſanè, & meliores horas, in tot tranſcribendis authorum doctrinis ſine uſu impendere inveniet. Adeò ut paucis fuccatis nonnunquam, & ad literam ex Augenio, & ferè maior huius quarti pars tractatus tranſcripta: quamvis in aliquibus Augenius torqueatur.

Tex. 31. *Quod ſi experimenta conſulamus quorum fidês fuit ſemper certiſsima, & maximam attullit utilitatem; conſtabit id quod diximus, veram eſſe curandi methodum, atq; omnino amplexandam.*

R. Principia generalia, ſive cuiuſvis artis inſtrumenta, nulli non conſtat rationem eſſe, & experiẽtiam. Cumq; dupliciter in artibus utimur experimentis, ſicuti ratione: Primum ad inveniendas res, rerumq; cauſas inveſtigãdas: ſecundo inventis per rationem, aut per doctrinam acquiſitis, neceſſario experimentis utimur ad ipſas confirmãdas: quemadmo-

admodum è contra experientia inventis, cõfirmari debent ratione; alioquin temerè rem tentabimus, & citra rationem experientiam insequemur, quam merito Galenus temerariam vocat. Vel quãdo singula à probatissimis authoribus conscripta theoremata diligẽter perquiruntur; nihil enim à veteribus proditum est, quod nõ maximum ad exquisitè exercendam artem commodum sit allaturum, si diligenter expendatur. Itaq; rationi, doctrinæq; est opus inniti experimentum, aliàs fallax, & periculosum. Ast utrisq; quæ scribis experimẽta vaccare planum est. Probrũ sum tã detestandum, suis cervicibus non fuit veritus sustinère. Verum ut pateat omnibus eius experimentũ, audiatis obsecro verba Doctoris Ferdinandi Sola, qui deierando sanctè nobis recitavit ad hũc modũ; *Dum pro illo absente, pregnanti esset in subsidiis: & verò eam ob saphenæ sectionem exanimem, ac totius caloris expertem, ad omnemq; animalem motum impotem invenisse: adeò ut fere manus cum morte conserere videretur*; sed cõsulti Doctoris studio, & opera, fomenta exterius, interiusq; assumpta medicamenta adhibentis, sospes fuit non post duas horas (ut fingit) sed in tres dies exivit. Alterum pharmacopolæ uxoris exemplum, quomodo fuerit subticuit. Nam reliqui medici, pariter & ipse cum de remedio agerent, proculdubio pregnantem per id temporis neutiquam esse præ-

 cepe-

ceperunt, nisi post dies aliquot. His inconsideratis experimentis, præceps Doctor sibi credere voluit, & modo vult tam exitiale auxiliũ, in rebus, in quibus non luditur de corio alieno esse ęquè administrãdum: putans per exitum, temere facta probare, quasi non essent multa consulto, & prudenter incepta, infęlicẽq; sortita exitũ. Hincq; Poeta cecinit.

Careat successibus opto.
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Sed inter hæc exempla, licet non dissimulare, erumnosum abortus eventum, qui nuper obtigit nobili fęminæ, ob sectionem saphenæ ab ipso præscriptam: fortassis sufficiet responsio non abortiri per se, sed per accidẽs: pro sãctè Deus, quid audio?

Iam pensum per solvere cupiens, pergit, & quid dicat nescit; nisi multa intercęsa, & pro recta (ut aiunt) operi diversa addãtur, & ea his similia, quæ per caliginem tractantur, & iterũ ad ægram denuo se convertit, sic dicens.

Tex.32. *Agebat ætatis suæ infęlix illa fęmina, decimum, & nonum annum, eratq; in adolescentiæ initio, & pubertatis fine constituta: quo tempore cum augmẽti tempus desierit, maximus sanguis, & humorum provẽtus inutilis in corpore solet succrescere.*

R. Tempus extrahit in probando sanguinẽ redundasse in nobili adolescentula, sive iuvencula cacechica, sicuti de usu est in omnibus pregnantibus.

Verum

Verum si per nebulam vidit, ex dicendis, atq; pregnantium victus ratione, intelligat certo, non omnes adolescẽtes abundè sanguificare, ut Galeno dicitur. *Puerulis plurimum sanguinis habent humorem: cumq; tantummodo haberent; quãtum in ipsum agitur ætatis temperamẽtum: at quia cibi copiã ingerunt, atq; eam in ordinatam, succorum aliquid, qui crudi nomine dicuntur, subnutriunt. Porro quoties ad ætatem deveniant adolescentiam, quidam iam rectè vivunt, meliorem vitæ tracti tenorem; & ita sanguis in illis exuperat dumtaxat: quidam vero adolescentes multo deterius vivunt, quam parvi puerulis; itaq; tales ægrotant, subinde pariter, ac vehementer, copiam crudorum succorum colligentes.* Ex his liquet, in secunda sorte utero gerentes, præcipuè si postremis contineãtur mensibus, nemine refragante, magis humorum vitio, quam multitudine laborare. Non enim consequitur ob maximam humorum copiã in universo corpore congestam, uterum plenitudine efferri. 3. Prognost. 28.

Atq; cum esset naturalis, & destinata via, in muliebribus redundantijs evacuandis occlusa, per nares cœpit aliqualem superfluorum immittere portionem. Tex. 33.

Doctor optime, te reputare opportebat, quæ de menstruis per nares male digesta scribis; nã gutulæ sanguinis; sexto, & quinto mensibus venientes mẽstrua dici nõ debent, multis nominibus: Primum, quoniam tam parva stillæ quantitas nequit men- R.

struo-

struorum portioni respondere: Secundo, nō erat (ut in historijs) singulis mensibus: Tertio, quia gravidis, quibus deest purgatio, si rectè cum eis fiat, utinam fetibus sufficere posit: Quarto, quod eo tempore, ęgra non erat pregnans: insuper, & quinto, non illi erant tentatæ evacuationes, vel abscessus in ægrotantibus dicti: Tandē, ineptè adducitur Hippocrates dicens hęmorrhagias largas, & magnas esse debere: sicq; historia Eragoræ transeat, sicut, & alia, quæ sequuntur inutilia.

Tex.34. *Secessit maxima copia illius sanguinis in aliquam uteri partem (putò in dextram, ut chirurgus coniecit, eā enim partem potius occupabat tumor; ut ipse chirurgus retulit) atq; magnum, malignumq; concitavit tumorē.*

R. Chirurgo, tumorum qui labijs pudendorum fiunt, non est coniectura, sed sensus evidentia. Sed miror, ut tuæ opinioni satis dares, ei vellis, quæ ne dixerit, neq; somniarit adscribere: orificium cervicis uteri, & pudēdorum labia tumorem subijsse, aliàs dixi, non tamen uteri substantiam. Non ergo licet, impositítijs dictis, rei obruere veritatem.

Tex.35. *Horum igitur accidentium, & symptomatum causa uterus, & sanguis in eo retentus: cum esset exitum quæritans; omni ratione caruit, non incępisse medellam à sanguinis in utero existentis evacuatione; & ex phlebotomia earum partium, quæ uterum respicerent, quales venæ inferiores sunt.*

Hanc

Hanc litem Deus, atq; doctissimi quiq; medici (non nos) absoluant, nam si fluit sanguis, licet sensim ex vena cava, neq; aliunde, quàm ex brachio revulsio facienda. Sed argute Doctor si (ut pagina sequenti ex Hippocrate in te adducis, & alijs in locis superius scribis) primum fluxionem se dare oportet: quomodo ergo incipienda medella à sanguinis in utero existentis evacuatione? sed de his pressius postea. Demum cui nunquam satisfacere erit; si evacuandum, quomodo revellendum; vel si revellendum, quomodo evacuandum ex talo? Re vera, hoc iuxta bonam medendi rationem, si non sophisma, figmentum est. R.

Erroremq; existimo perniciosissimum (ut potè, quod in exitum ægrotantium tali affectu semper cesserit) si quis indicationibus à me satis exactè propositis, rationibusq; & authoritatibus, & observationibus innumeris. Tex. 36.

Qui alios corripere studet, labe carere debet, errorē dicis perniciosissimū esse, quod scite fit, quodq; methodo, & indicationibus conquisitū, cedo ex tot indicationibus unam, vel ex rationibus alterā, quæ ad rem faciant, age quamvis suum, cuiq; pulchrum videatur, magis tamen consultus, ac peritus medicus sibi iudicio placere debet, quàm studio. Nam si quæ hic, & alibi scribis tecum reputaras, delere liceret; in hac autem pagina, sicuti in sequē- R.

tibus, nihil frugi invenimus, eundem quidem lapidem (ut soles) revolvis. Quę vero ad proximas paginas sunt scripta, asse adulterino facio, dilucidata enim superius reliquimus. A Etij exemplum, & Alexandri sentētia, alio potius quam ad rem propositam spectant, modo ut absoleta reponitur. Nemo sane, nisi qui rudis plane omnis medicinę fuerit, in angina, pleuritide, & phrenitide, mittere ex brachio sanguinē hæsitat quāquā humor ex utero veniat. Ast bone vir, si fluentibus mensibus actu, ac si nō fluerent, in prædictis (ut si qui fuerint alij) casibus, venas brachij quotidie, mecū, & alijs cōsultādo seccas. Cur modo tua te non repræhendit, consciētia, ut Trahani mentem à nostro instituto aviam, ob oculos hominum ponas?

x.37. *Quod cum ita factum fuisset, & intra tam breve temporis curriculum, probabile est certè, morbum adhuc principium agere, aut primam augmenti partem; atq; eo tempore, non tantum ad caput confluxisse, quod nō speraretur fluxurum multo magis.*

E Sed quoniam sese, nō modo aliquid rationi cōsonum obijcere, sed me conclusisse iactat, quod ad principium accessionis epilepsię venam brachij tuderim, cū pedis potius, in pregnantibus secandā iudicet: sed tamen ut videat quomodo in hoc argumento, seu errore processerit, vivum compræhendam, non modo Galeni iudicio, sed etiā multiplici

ratione,

ratione elegantissime demonstrando, accessionis initium, & augmentum etiam esse incomprehensibilia, ad hunc modum. Cui enim notum est totum accessionis in comitiali morbo principium? Siquidem cũ incipit accessio, ita statim subit incrementum, ut inconstantia esse videatur. Non est tamen ob id dicendum carere principio, quatenus enim, ex artis medicæ usu existit, principio caret comitialis morbus, licet re vera habeat; Galenus verò totius, & universalis morbi principium accipiebat, quod diutissimè perdurat. Dices, Avicenam nõ de particularis accessionis, sed de universalis morbi principio loqui. An etiam quod & si uterq; universale principium audit, & profecto principiũ habet comitialis affectus, nihilo tamen minus quatenus ex usu medico fuerit, habere nõ videtur. Quod autem ita sese res habeat apertissime Galenus in cõmẽtario, de totius morbi temporibus his ipsis verbis præscribit. *Cognoscere autem (inquit) morbos interdum apertè licet, aliquando obscure, vel etiam prorsus diu ignoratur. Hinc quidam statim ubi vigêt inuadere videntur: quod ex eorum numero est quæ fieri nequeunt: sed neq; repente adeò invadentem, vigentem apoplexiam dixeris, quoniam tale exactè non est, sed brevi tempore principium, & ascensum percurrit, non tamẽ caret principio, neq; statim perfectissimè invadit; quemadmodum nec comitialis accessio. Nullus siquidẽ* Cap. 4.

 tam

tam subito symptomate corrumpitur, ut is cui cervix detruncatur; quanquam illius quoq; sectio primum aliquod tempus habet, & secundum, & tertium, & quartum, ut si chirurgus rem quampiã dividat. At (si vis) concedamus, sive temporis spacio comitialem, attonitamq; concidẽtiam fieri (cathaptosim vocant) hæc autem cathaptosis, symptoma eorum est; non autem morbus; verum aliqua corporis dispositio dicenda, & si vel genitæ ipsius, vel increscentis nullam notam habemus. Ideo sequens sermo non pervertitur, quo omnem morbum necessario per ascensum ad vigorem pervenire dicebamus. Merito igitur erroris Tesali hic accusaris, quod in morbi principio, ipso ignorato, quid sit faciendũ; ausus fueris præcipere, ac nos asperè de inertia appellare: nam sive primum morbi insultum, sive primam totius morbi accessionem intelligas, toto quidem cęlo erras. Primum enim insultum divisibili latitudine carere est planum; perinde cẽsendum de accessione prima, quod sępe nedum principium, sed uniuersum incremẽtum, atq; vigorem in se complectitur, veluti in synochis accidit febribus, unicam accessionem ab initio ad finem usq; habentibus. Ac præter hæc, ut apertius fiat, audi Galenum lib. 3. de crisibus rem hanc notiorem facientem.
Cap. 3. *Sępe utiq; in morbis nullum tale quod sensu deprabendatur tempus invenitur, sed quartam, verbigratia, accessionem augmẽti adhuc signa habentem,*

bentem, quinta accessio declinationem præ se ferens excipit, quod videlicet vigor celeriter abierit.

Et mox addit, quæ meridiana luce clarioreĩ redunt difficultatem. *Nam interdum prima accessio principium simul, augmentum & vigorem in se complectitur, in prima scilicet sui parte principium, in altera quæ hanc excipit augmentum, postrema verò vigorem. Secundo vero deinceps accessio evidenter declinatoria esse apparet.* Huc etiam accedit mirabile, illud præceptum satis promulgatum quod apud Galenum lib. de optima secta ad Thrasibulum, adversus methodicos cõstitutum, legitur. I*d igitur eos latuit, non omnẽ morbum incipere, augeri, & in summo consistere, atq; remitti: acuti namq; morbi, qualis apoplexia est, simul atq; invaserunt, ad extremam ascendunt magnitudinem, & qui iudicantur morbi, uno tempore, remißione scilicet mutilantur.* Quid certius? Quid clarius quæso Decane? crimine ergo non vacas, quod, quæ de medicina apud omnes sunt lõgè latèq; pervagata te acerrimi ingenij hominem fugerint. Interea permitte, agnosceq; nos rectam medendi rationem inivisse, & scitè epilepsię vigorem, eminẽtemq; coniectasse apoplexiam, ut debitó morbi tẽpore cephalica solveretur, principio iam, & incremento præeuntibus. Cap. 47.

Eximius ille Doctor Trincauellus dicit: si ex suppressis mensibus, &c. Tex. 38.

Trincauellius eo loci sibi plenitudinem, ex mẽsium, & hæmorrhoidum retentione proponit, non vero ex pregnatione, cui alius debet esse utẽdi modus: & quamvis non me fugit, illum penitus medicinam tenere, nihilominus à methodum iudico, cũ Arabum frequentius, quam Græcorum theoremata æmuletur.

Tex. 39. *Ait enim, inflammationem quandam maximam, & sordidam, eam ægrotantem exercuisse.*

2. Quæ legerit Decanus capiat; ac sciat me neutiquã de tumore sordido dixisse, nisi quæ chirurgus in oculis omnium protulerat, recẽ fuisse. Sed modo eum interrogo ut in omnibus argutulum si ex tumore orta sunt ulcera, (ut asseverat) in collo uteri sordissima à mutatione tumoris, ad ulcus quãtum distet, inflãmationem sordidam dicere, vel tumorẽ sordidũ? si Galenũ relegat. 3. meth. 9. phlegmonem, cavitatem, ulcus, & sordes una incidere offẽdet; & tõsoribus notissimũ. Ad hæc cum lectore ago precibus, ut animadvertat, hic, & alibi tumorem cervicis uteri, gangrenæ naturam præ se ferentem, ipsum ostendere: aliàs solũmodo phlegmonem utero atribuit, & chirurgum passim in rebus nequidem dictis, sed ne cogitatis testem producit. Dispeream, si hæc ab eo audierit, ut potè qui elata vix subucula, ægram uno oculorum ictu inspexit, sine alia aliqua diligẽtia, manusq; opera; atq; extemplo ad nos

nos conversus, tumorem sordidum (ut ipsius verbis utar) magnitudinis duorum pugnorum, nobis, & astantibus pronunciavit, moxq; discessit, rediijtq; nunquam, & testor Deum, neq; de gāgrena, neq; de ulcere, & fętore ullum tūc fecisse verbum, videat quispiam, quam varius sit, quamq; incertus, & temerarius, ut hæc affirmatè, & quasi Deo teste; perhibeat, homine sanè honesto indigna, cui nunquam tergiversari licet; sed vera humaniter memorare.

Vt potè, quod gangrenæ naturam saperet, non ergo inflammatio erat. Tex. 40.

R. Bella consequentia, ac si grangrena propriè dicta, citra inflammationē accidere possit. Eho disce, quæ eos, qui primoribus labrijs medicinam degustarunt, non fugiūt; sed de gāgrena postea pulchra.

Cum tametsi inflammatio uterina adesset acuta, ardentissima, & vehementissima febris necessario adesset, etiam prædicto affectui copulata. Tex. 41.

R. Quid interest dicas inter ardentissimam, & vehementissimam, si cum Galeno loquaris, aut si nō, pleonasmum committis. Porro, quia in rebus omnibus non necessario accidunt signa; propterea mirum non est, si utero inflammato, ut Galeno significatur, febres ardentes non adveniant. At ex uteri phlegmone, non dubito eas contingere; verum, ut ex Gale. constat, non necessario fiunt, ut existimas. 6. epid. 5. 14.

Atta-

Attamen non eris tu inficiando pregnātem, de qua agitur, ingenti febre laborasse, cum expulsus ingētissimo usu, totius corporis calore, & rubore faciei deprehenderetur; lingua vero, quod extra se posita esset, & os una cum corpore convelleretur, nullo modo erat inspicienda, nisi ab eo qui lapidum interiora (ut iterum dixi) penetrat. Et Galeni sententia, ab ipsoq; allata, ad uteri tantum inflammationem, non ad tumores pudendorum crudos attinet. Malè ergo ad rem, & quam pessimè argumētatur, nam suo se gladio iugulat: affirmat enim, uteri inflammatione affici ægram, & cum Galeno probat, febres ardentes ex phlegmone uteri oboriri: si hæc vera sunt. Quid ita? parvissimam ægrè febrem decrevit?

Tex.42. *Non est quod alicui persuadeat inflammationē adfuisse, aut si unquam inflammatio fuit, iam proculdubio in ulcus, & cavitatem quandam corrupta.*

R Profecto huiusce toties repetitæ inflammationis satago, ut non dixerim, sed age, quē ego unquā, feminę adesse inflammationem, ad credendum duxi? satius quidem esset, si affectionem tu particulatim præstitueras; ut non vagādo, sophistarum more: modo gangrenæ, modo maligni tuberculi; necnō ulceris lividi; ac demum inflammationis uteri, eius vè cervicis incertum caperes consilium. Quo fit ut nulli earum affectionum privatim accederes,

in

nisi inflammationi, saphenæ sectionem cõsulendo; quam in præsentiarum abnuis, nescio cur, nisi lex tibi sit, uti privato homini irrogata.

Vt revera non fuit; sed magnum, & malignum quodam tuberculum, quod in malignum quodam virus, lividumq; ulcus citißimè degenerarit; à quo, ob acres, malignosq; vapores in cerebrum delatos, epilepsia consurgit. Tex. 43.

Hic esto candide lector, atq; scias opto, crudum, malignumq; tuberculum ægræ pudendorum labrijs in esse, ut millies dixi, & non lividum ulcus; ut iam in secundo fundamento latius aperuimus: itaq; illud modo tacitus prætereo, repetita enim crãbes mors. Superest nũc differere, num tetri vapores, cerebrum scansi (ut fingit) ex tumore maligno emersi, fecerint epilepsiam: sed omnem primo è medio ambiguitatẽ eximere nobis liceat, ut breviter, strictimq; dubitationis veritatẽ attingamus. Quominus ipse suam posit paralogismis prætexere opinionem.

Constet imprimis tuberculũ, in malignum trãsfactum, nihil sustinuisse gangrenæ: ut potè, nõ fuit corruptio parti carnosæ contingens, propter inflãmationis magnitudinem; neq; illi caloris, roboris, doloris, pulsationis, & tensionis, accidentia fuerũt intensissima. Neq, dolor ut semper fit, sine causa manifesta cessavit. Vnde liquet, tumorem illũ ma-

 lignum,

lignum, ex pituitoso potius fuisse obortũ humore; quamvis sæpissime aliorum humorũ præsentia usu veniant: hic, præfrigida, venenataq; substãtia dumtaxat accidisse arbitror, ut doloris defectus ostendit; quem nunquam substulisse scimus, nisi pridie eiusdem diei morbi insultus, de paucissimo, & ferè imperceptibili fuit cum marito, socruq; cõquæsta. Ad hæc tumor decolor erat, nullum præsidens gãgrenę habens signũ, interstincta iam tumoris causa facile internoscere erit; an efferri vapores potuissent, an vero tantæ epilepsiæ authores censeamus.

In comperto est, mortificationẽ nostris corporibus accidere, vel denegata parti facultate vitali, vel natiuo eius corporis calore, ac temperamento pereũtibus. Si ita est, qui potè ut fugato, perẽptoq; calore, per surreptos in cerebrũ vapores affici epilepsia existimamus? maximè ubi subsequta est corruptio, nulla pręcedente inflammationis, ac putredinis nota. Attamen oborti ex pudendorum sycderatione vapores, & ad cerebri ventriculos irrepti, causam efficientem exposcere est necessum; atq; materiam ex qua emergant: vias etiam per quas cõmunicentur: quæ omnia proculdubio desiderãtur, in parte sphacello tentata. In primis ratio mortificationis, fert partem cui inest calore esse destitutã, pariterq; facultatibus, nã defficit temperamẽtum; quã obrem nulla sibi appositæ materiæ cõmutatio

erit.

erit. AEget itidem materia, dissoluta enim est partis substãtia, exuccataq́;, quod ceu fimus, & cinis, & quid cadaverosum remaneat. Deest via per quam supernis partibus queãt suggeri vapores, quod inter ægram, & validã partes, nulla est naturæ colligatio, nulla meatum societas, & cõmunicatio; imo pars, quę firma non est, proximam sibi sanam è vestigio enecat, trãspirationis usum, & insiti caloris, motus partium inter sese copulantiũ prohibendo; liberum enim motum foras, intro, & in circulum esse opportet, Hippocrates vult: sicq́; conservatur partiũ oeconomia naturæ, alias statim excedit. Sed rem hanc presius agamus, supponendo primum, ulcera illa extrinseca fuisse, hincq́; fictus ab eo consensus retegitur: atq́; ad hũc modum probo: Si aliquo modo esset cõsensus, maxime per transmisionem vaporum, sed fieri non potest huiusmodi trãsmisio, igitur neq́; epilepsiæ generatio; maior est evidens, ut ne ipse negat: minorem cõfirmo, defficientibus vijs, nil potest alio traduci, verum in externa uteri parte gangrena, seu quacumq́; necrosi affecta, viæ defficiunt: ergo vaporum proventus transferri in aliam sedem, nec quicquam poterit: maior est certa, minorẽ demonstro: Calor à corde influẽs, insitusq́; partium, membra dilatat, meatus itidem patentiores reddit; sicq́; tota corporis structura, in vita est; ope caloris nativi, singulis eius *Argumentu.*

 parti-

partibus impartiri; ſed ubi gangrena est uterque deſciſcit calor, quo circa, & vita, perindeq́, viæ, quia occluſę: maior veriſsima; minor Galeni: quare rectè conficitur, vias neceſſario abeſſe: His accedit, quod Hippocrates docet libro de alimento, videlicet conſenſum unum, confluxum unum, conſpirationem unam, omnia conſentientia. Cum vero ex his alter abierit, particula laborans quam citiſsime emoritur, & ſubinde vicinas ſedes invadit, ac ſi ultra eas, necat quoad totum mēbrum: ergo à primo ad ultimum, ex vitę pudendorum extinctione fieri per conſenſum cum cerebro epilepſiam adinaton eſt; imò credendum potius cor petere, quàm cerebrum, cū ſub frigido ſudore omnes vitalia limina linquant.

Sed eſto ut gangrena, ſive qualiſcumq́; mortificatio, ſit in qualibet corporis parte: ſane ne quis omnium erit, qui apud Galenum, Hippocratē ve, aut legerit, aut ab alijs audierit, vel uſu comprobarit, vapores ex gangrena profectos, caput, ſive cerebrum irruere, epilepſiamq́; ſua acrimonia exequi. Quo minus ita ſit, res ipſa loquitur, & periclitatio oſtēdit. Nam mortificationes modo fientes, modo factas, frequenter, imò, quotidie in plurimis offendimus, atq́; ob eas, neutiquam alicui obtingere cōvulſiones epilepticas vidimus: neq́; obſtat exemplum convulſionum; quæ per auram, vel uteri, &

alterius partis affectiones fiunt: quippe in his calor nativus uti verum opificis naturæ generale instrumentum, integer est, & validus, quo natura sua munia omnibus modis explere potest. Ast secus se habet in partibus gangrenæ correptis, ubi sunt facultatum actiones, prę caloris defectu omnino deletę; unde elevari vapores omnino nequeũt, ut in alijs, quorum caloris potestas, vapores patrare potis est, de his satis: Ad alia progrediamur, nõ enim omnia in omnibus sunt dicenda, sed certa in certis.

Quę ab hoc textu sequentur usq; ad quadragessimum quartum, nostræ sententiæ accedunt, neque dubitavit: tum demum ad inflãmationem reverti; & quę publicè etiam ab Augenio exceperat, sin minus eum emulari voluerit, ea saltim ęquum erat paraphrasi quadam prætexere, ne fortasis ereptoris nomine, vel ludibrio à sannionibus læderetur: satius quidem illi esset si ab hoc studio tempestivè, providentisimèq; desciscere, quàm ita scribere Verum si illum tenet insanabile scribendi cachoetes; mirũ non est: trahit enim sua quemq; voluptas.

Nam Paulus, Oribatius, & Avicena indistinctè, & in universali sententiam suam prodiderunt, dum in huiusmodi inflammationibus absolutè ex cubito sanguinem mittere praceperunt. Tex. 44.

Paulus, Oribatius, & Avicena ne latum quidem unguem in methodicis regulis instituendis reces- 1.

ferunt; alioquini nō essent medicinæ authores amplij. Sed cur magis fidenter, quam peritè eos torquære contendis? atque de artis proceribus dicere nefas est. Verum enim verò quando indistinctè loquti sunt? At tu te, si introspiceres ipse, neq; dispositè, neq; distributè, neq; illuminatè inveneras, tua te excusisse sensa, sed age, quādo ipsi universim sanguinis missioni ex cubito faciēda, præ uteri inflammatione viam aperuerunt? siquidem privatus utendi modus, ex peculiari pendet loci affectione; opus ergo fuit illis, hunc scopum auxilij attentè, & scitè cōsiderare, ut sine inertia, remedium inflammationi revellens consulerent.

Tex.45. *Mihi certè, & in pregnantium erisypelate, aut inflammatione, si sanguinis missione, cum morbo certandum sit eodem curationis genere, utendum esse apparet.*

R. Rectè quidem, & nimis mirabiliter, unicus is, & singularis constitutor uidetur dicere, & quasi more maiorum agere, in saphenæ sectione, pregnantibus præscribenda. Nihilominus instituēdus, & consulendus, nam in re tam perplexa, tamq; ancipiti, & ardua sapientis est meliorem, ac tutiorem sententiam exquirere, atq; eos authores consulere, quorum opinio plurimum apud omnes existimationis possideat, ut ęquè possit utero gerentium salus, & vita tutari. Abhorreat obsecro, ab hoc utēdi modo, qui fidem orthodoxam imbiberit, & Deū

 timeat,

timeat. Ne ſcandalũ veniat miſeræ pregnanti; neq; enim artifici licèt bis (ut dicunt) in bello peccare.

Neq; eſt, quod alicui hoc videatur dictu, & factu difficile, cum enim eriſypelas in pregnantibus ex neceſsitate ſit mortalis affectus fætui, & ambo neceſſario, (niſi rariſsimè aliter contingat) ſint interituri. Tex.46.

Moleſtè quidem fero, ut in re conſcientiæ reclamante, non dubitet novus cõſtitutor, neophitos in medicina, ac etiã theologos decipere, cum duo, quæ præferre liceret, obtegerit. Primum eſt, acutorum morborum nõ omnino veras eſſe prænuntiationes, aut prognoſtica ſalutis, aut mortis. Vnde ſub dubio exiſtit interitus in acutis morbis, ac perinde pregnãtibus. Quo minus eis ex inflammatione ſupræmus neceſſario dies cõtingat: ſicq; ſalutis, pariter, & mortis ancipitem prædictiones evẽtum ſignificãt: Quo circa, temere tranſgredi auſus fuit terminos, quos patres ſui poſuerũt, Secundũ, quod ſacrorum canonum Doctores opportebat de mortis periculo maximo pregnãtium certiores facere, ut tutò, & pro optima conſcientia rectum poſſent conſilium reddere. Quæ, de ſanis, abortientibuſq; mulieribus refert Augenius, prepoſtera admodum ſunt, quamvis vera, ſcilicet non periclitari abortiẽtes multas, & ſi ſuo experimento vellit, eas affluentibus menſium purgationibus, haut abortiri: nobis ſalva illius pace non arrident: quod, ex mille ſan-

guinis

guinis fluxum patientibus, quamvis sanis, non retinere conceptum frequētissime periclitatum nobis est; & vulgo Obstetricibus notum: Quæ ideò retētioni fętus sanguinis influxuum præsentia diffidunt, usu medicorum ductæ, ut neq; intus ad stringentium, neq; exterius necquicquam adhibere pro re medica audeant. At excretio, quę in gravidis fit, videtur ex venis, quæ in collo sunt apparere. Nam si ex interioribus, quæ sunt in cavitate purgationes contingant; impossibile fętum esse sanum Hippocrati dicitur.

Sed ad rem redeamus, inconsultò, si non impiè, mortem certissimam asciscit matri, fętuiq;: quia matrem cōclamatam pronuntiarit; quo præpediri Theologi, & Canonum professores planum est, cū falso sint de rei veritate docti: quo fit, ut ne possint certo iudicium ferre. An ęquè, vel ne, ex talo sanguinis missio in acutis, culpa uteri, pregnantibus expediat ad vindicandam matrem pro derelicto habentes fętum: sed hæc, aliorum esto iudicium; nostra non interest, ne omissis fontibus consectemur rivolos; itaq; culpādus, qui medicus materias canonicas occuparit, & ultra malleolum loquitur.

Tex.47. *Quod si Avicenna prædicto capite, parum post principium, curationem phlegmonis uterinæ, à detractione superna, inchoandam esse consulit.*

R. Flocci facit temerè Avicenæ præceptum, cum illud

illud admirari melius esset, ut elegans, & à fabre constitutum; pulchre enim breviterq; utramq; cōscisit vena sectionē: cum quo AEtius, Paulus, alijq; authores non minoris notæ facere videmus. Quorum mens, hæc est; ubi revellendi causa, vel sanguinis multitudo affluit, ex cubito primum quàm ex talo, mittere sanguinem, affecto phlegmone utero, præstat (initio tamen curationis) at evacuationis, vel derivationis causa, tundendæ inferiores sunt venæ. Hęc sibi vult Avicena, & ratio medica; quod scio te nō latuisse. Sed ut ijs, ac alijs explores papyrum, aperte hic voluisti utramq; inflare tibiam.

Ex paralogismo proposito eruit huiusmodi consequtionem, ac proinde commodior multo (imo, quæ affectui in capite existenti directè respondebat) esset venæ sectio, ex fronte exercenda. Tex. 48.

Deum restitisse superbis, ex toto opusculo constitit, præsertimq; ex hoc maximo errore, non solũ medico quovis indigno; sed quæ nec barbitonsor, neq; vulgaris diceret, typis enim mandasse, & ex professo scripsisse, expurgatione caret. Bis enim in unica pagina asseruit, in corpore gravidę adeò plethorico (ut ille vult) statim in principio venam frontis aperiendam: sic excęcat hominis passio si nō animi elatio, ut sua creta notet, aliena carbone. Ridete amabo lectores, irriditeq;, est enim dignus; nam in comœdia (nisi in tragediam volleret) in- R.

 tersti-

t..rſtitium, ſive tempus riſus dicit ſolet (entremes) vagemur paululum, & confabulemur cum illo. Imprimis certo ſcimus, quod ſi ex arte ſit agendum, prius tollenda plenitudo, quam aliquid parti imponere liceat, neq; parum aquæ frigidæ, vel calidę, ſed conſilio agamus. Ingenioſiſsimus Doctor, &

4. Meth. multis nominibus decorandus, Frãciſcus Valleſius magnus aliquod facinus feciſſe iudicatur, quod localia remedia evacuantibus interponēda decrevit. Atq; rectè quidem; ſed cur ipſum uti Magiſtrum non inſequitur? nomine ergo tenus diſcipulus. Ad hæc Galenus præcedenti plenitudine. 7. aph. ſic ait. *Si vero adſit in toto corpore plenitudo, prius dirumpentur oculorum tunicæ inter bibendum, atq; lauandum.* Videamus modo circa frigida in obſervationibus

3. epid. agro. 3. Hippocratis dicentem Galenum. *Nam ſi ante vacuationem ſentientes humorum abundantiam, ad maxime principes partes retorquebis.* Additq;. *Imo ne calfacere quidem, & lenire ante corporis vacuationem, partes dolentes, licet.* (neq; inficias ibis, caput gravidæ dolere) *Nam ſemper ad partem affectam, omnino ob ea remedia, allicitur humorum affluentia; ita alterum homini diſcrimen accedit, ubi nimirum ſit inflammata pars.* Hæc ille, à quo conſtat, nec balneo in parte utendum: Prohibet etiam cathaplaſmata, dicens 11. meth. cap. 15. *Calfacere cathaplaſmatis præcordia, aut perfuſionibus, non eſt tutum, ſed in ijs tantum ægris, qui-*

bus in

bus in toto corpore nullum erat superfluum, cæteris omnibus extrema est pernicies; nã siue redundãtia utravis sit, vel quæ ad vires, vel quæ ad vasorum continentiã comparatur, sive etiam in una parte, sive in pluribus vitiosa excremẽta sint, omnia ad partem excalfactam trahuntur. Quoties enim vidisti præcordia cum plane phlegmone carerẽt intra quatuor dies quam ea gregales isti medici perfundore cępissent, phlegmonem contraxisse. Porro de resolventibus vehemẽter, & cucurbitula dicit Galenus cap. 17. ibi, postquam ad stringẽtium noxam, ac relaxantium commodum adnotavit, sic habet: *Itaq; etiam cucurbitulis ijs, qui sic laborant, si prius sint vacuati, applicabitur: si vero abundantia succorum (plethoram enim vocant) in his sit, non magis ex pulmone in pectus, aliquid excrementi transferet; quam ex toto corpore attrahet in utrumq;.* Deniq; ne te lateat, quod apud eundem libro artis med. c. 95. quia pulchrum, ac certum exaudimus. *Si igitur* (inquit) *universum corpus, plus æquo, plenum fuerit, per patientem locum minime evacuandum; nam si scarificationibus, aut sectionibus, sensibiliter evacuabimus: plus ratione excitati dolores, attrahemus; si vero calfacientibus dispergere tentavimus; plus erit, quod vi caloris ad partem attrahatur, quam dispersam.* Hæc Galenus contra te. Si cum Galeno capitis gravitatum, & dolorum medellam esse dicas, venę sectionem in fronte factam, nihil refert; de inveteratis enim do- *Lib. de sang. misſ. c. 19.*

 loribus

loribus ibi loquitur, non de affectionibus capiti recenter obtingentibus.

Porro quam ineptè, hanc quasi albam avem, mittendi sanguinem ex fronte opinionem sancierat, videte: nam præterquam nulli artis principio innititur, sibi etiam nō constare videtur: quod tex. 35. & alibi sic habet. *Nam quomodo in affectionibus, à fluxione pendentibus curandis, nos gerere debeamus, clarius quam ut dubitationi alicui supersit locus. Edixit Hippocrates per hæc verba. Morbos à principio curare opportet; & siquidem à fluxionibus fiunt, primum fluxionem se dare, deinde id quod confluxit: & si quidem multum fuerit, educere; sin modicum, per victus rationem moderare, ac reficere. Ex his verbis, bone vir, non tibi clarißimè, nisi ea oscitanter legas, prius à fluxus se motione, deinde ad confluxum esse deveniendum, atq; inversam omnino rationem curandi, quæ inceperit in se motione eius, quod transmissum est, omissa omnino, in morbi principio, transmittētis partis consideratione, cum ea potior multo, imò simpliciter necessaria, eo tēpore erat.* Hæc ipse novæ aporiæ constitutor, quam si reputarat melius esset, quam statim descernere, quo ab omnibus notatus, & potissimum à eruditissimo D. Doctore Ioanne Gomezio à senabria Cęsareæ maiestatis Philippi Tertij dignissimo Archiatro, pronuntiante literis suis; illum hac in re in absurdè loquutum, satius ergo reticuisse erat, ne spes gloriæ

irrita

irrita maneret, & suo se gladio iugularet.

Quos vero cephalicæ inscisio parum ad evacuandum valet, inde videbis, quod Galenus ad revellendum, & non evacuandum ea usus sit. Tex. 49.

Annotata est iam hęc contradictio, superest, ut de cętero, ea quæ responsurus est, & videat, & perpolliat, ad rē tamen ne in medicinæ ianuis aberret, qui vult cephalicæ solutionem ex capite non educere, atq; in Galenum passim docentem invehere: Sed abundè de ijs (ut superius diximus) nam dicta bis, quæ fæda. Non immerito igitur humeraria superiores clavicularum partes evacuāt, easq; quæ in collo, & capite existunt, tum magis, tum velocius. R. 2. acutorum. 10.

Neq; Galeno, eo loci animus fuit sanguinis missionem adhibere, propter evacuationem humoris cerebrum iam exercentis, sed ob illius, vel nares, vel caput scandentis, abundeq; profluentis revulsionem. Quo circa, humeralem utriq; parti respōdentem venam aperire tradidit: ut potè unicus dūtaxat se obtulerat scopus, revellendi scilicet, & nō alius. Sed quid cōtra me docte vir? fluxū sanguinis vis capitis esse affectum? male quidem Galeni mētem rimatus es. 1. pror. 3. cō. 53.

Et amplius reor, fluxum sanguinis ad iecur, & ad venas ipsi vicinas potius quam ad cerebrum spectare, quod apud Galenum est lib. de curandi ratione, per venæ sectionem. *Cæterum ait, haud op-*

 portet

portet nos contemnere sanguinis missionem, ac si esset auxilium minimè revulsorium, cùm me sæpenumero cōspexeritis, in sanguinis è naribus eruptione vehemēti, eo remedio usum esse, & repente effluxum sedasse. Convenit autem, uti vidistis, non expectare, donec ad extremum imbecillitatis vires perveniant, sed ubi quod moderatum est iam vacuatum esse videtur, prorrumpentisq; sanguinis impetus validus permanet, secare in gibbero venam convenit, dextra quidem nare sanguinē profundente è dextra manu, altera autē è sinistra. Et postquā vincula, & cucurbitulā adhibet, subdit. *Hæc enim, & nos cum faceremus, ut nostris semper erumpentem ex naribus sanguinm compescuimus.* Sed clarius. 5. meth. c. 3. *Quum è naribus sanguis erumpit, si æger adhuc resolutus non est, vena in gibbero inscindēda est, quę profusioni è directo respondet.* Ex quibus liquido satis constat, fluxum sanguinis non tantum coerceri, sed & hepar, & liē curari, à quibus sanguis effluxerit; nā si sanguis, non solum quantitate partem in quam decubuit, sed etiā qualitate molestat: eā perinde ex qua recesserit, morbosam esse significabit, Hippocratis est theorema lib. de natura hominis. 21. dicētis. *Necesse est enim cum aliquid horum recesserit, & per se constiterit, non solum locum ex quo recesserit, morbidum evadere, sed etiam ubi constiterit, & influxerit.* Hæc Hippocrates. Huc accedit, quod Hippocrates monuit. 2. & 6. epidem. nimirum impetus

petus considerandos esse, ex quibus ægrotare cępcrunt, ut illis medēdis studium primum dirigatur, causam præscindendo; quare Galenus à loco primum affluente sanguine orsus est, ut deleta multitudine, est opus fluxum compescere.

Quod enim primo loco adducebatur, nunquam esse tentadum aborsum, & omnibus gētibus invisum esse, atq; prohibitum. Tex. 50.

In hac pagina, ut in sequentibus, nihil emolumenti adducit, sed nostras potius partes agit, non erubescens ea, quæ aliàs dixerat, iterum inculcare; hoc vnum sciat is doctus, & magnus vir, ut quæ fucata sunt, aut vulgaria, nonnunquam in initio arrident, novitate ipsa mox repetita sordescunt: solummodo in rebus ægregijs, ut quo sępius, ac pressius inspiciuntur, hoc magis ac magis placet, ut ait Horatius. R.

Quę si proprius stes
Te capit magis, ac decies repetita placebit.

Qui enim pulchrum aiũt, ea quæ pulchra sunt, iterum ac tertio tum dicere, tum considerare possumus, vel quod enim egregium, vel pulchrum est, id iterum, ac tertio in sermone reperi opportere, Platoni dicitur. Quæ ergo pulchra, si non vulgaria in sequentibus tractatibus? Non enim esse tentandum aborsum, nemo non dicit: contradictionem Hippocratis nullam inveniet, qui libros eiusdem genui-

genuinos & falso illi adscriptis, internoscere voluerit. Quæ deinceps inservit ex Aristotele disputationi, instituto non accedunt. Non minus videtur ultra septa transilire, cum Diui Thomę, aliorumq; canonum sacrorum Doctorum iudicia, perperam recensuit. Quid est quod cęlo terram, terræ cęlum misceat? confundensq; omnia, fasq;, nefasq;.

Tex. 51. *Nam ut superius probavi, qui in lue perniciose, bubonibus, atq; carbunculis in ignibus, aut thibijs excrescētibus relictis, & expertis venis, quę per pedes decurrunt, audeat aperire aliquā earum, quę in brachio sunt.*

R. Huic maximę difficultati ipsemet respondens (ubi se probasse dicit) refert multos Theologos, Medicos etiam in Academijs allegatis oppositam tenuisse sententiam. Neq; desunt, & ex clasicis aliquis, decens in non ~~gētibus~~ [crescentibus] utero quaqua parte sit bubō, primum ex toto plethoram secta cubiti vena depositum iri: Quid non ingravida? Verum hac in re, quasi in trivio cōsisto, quod extra publicam viā non deflectere, certi est consilij probatio.

Quæ restant aliena sunt, & hinc inde mēdicata, authores omnes reijcit, & non ingenue fatetur, per quem profecerit, vel per quos. Nam maior pars desumpta est, ex Horatio, Augenio, Mercurialem, nec non Rocheum carpens immeritò, & alia diversa, quibus nūquam scopum attingit, sed eo fertur quo pedes illum rapiunt, & auræ. Quæ si adimenda,

potius

potius quidem maluissem cloacas Augiæ purgare.

Rectè quidem dixit Poeta;

In longo opere obrepere somnum fas est. *Horatius in Arte.*

Idest in aliquibus defficere. Sumus homines ut Plinius ait. *In Præfatione.* Ex quibus ex oppositorum lege fas erit educere in longo opere aliquid dignum lectione scribi debere : unde & illud; *Nullus est liber tam malus, qui aliquam utilitatem non afferat.* *Plinius secundus.* Quæ si vera sunt, & fortè animi legentium suspensi extant, adhucq; aliquid utile, dulcevè præstolentur, ut saltem liber dici posit, si non esse valet : nam revera quo ad medicinam, rerum dissimilarium quædam est sartago quoad sermonem, descriptum passim invenio ; Grammatices præceptorem discipulis sinonnima distantem, atq; hisce minutijs, vicisse credidit, se gladiatore, & iudice, sed medius fiduis, multi sunt testes oculati; asserētes librum quatuor articulorum furore Poetico, subitoq; factum nulla lucerna, neq; sudore, sed quidquid in buccam ocurrebat notarijs dictando: qui libellus nimirum si ut fabulæ ferunt, loqui posset. Sine dubio illud Iob conquærentis palam referret, dicendo. *Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret: fuissem quasi non essem ex utero trāslatus ad tumulum. Nunquid nō paucitas dierum meorum pauciter finietur?* Hæc & alia multa ad hærum tristis liber offerret, sed ego autoris honori provi-

dens, & saluti (timeo enim magnum in illo morbum) ad exitum, sive exitium illius cōceptum maximum servans; ex quo cōstare poterit, quam belle Galenum, & alios autores de epilepsia agentes doctissimus Doctor consulverit, qui bile ob temperamentum, & ætatem atra præscitus ita scripserit.

Sed iam tempus est, nemorosus videar, tuorum quarti articulorum respōsioni quasi fastigium imponere, qui satis ęquè, fere totus, insignis, à nobis est, quibusdam notis quam turpissimis condemnatus. Neq; me ideo latet, in nostra responsione absolutionem, perfectionemq́, oppido desiderari, & Sufenos etiam iudices esse, qui in me, ut in te ego, ijsdem notis, si non ignominia nova, item nos pro palam condemnent. Verum quum tua spectent, aut omnino vera, aut ab instituto diversa offendent, illa probanda hæc prætereunda, reliqua vero palestræ, & olei sunt, quæ ceu laptionem artis medicæ subsultim refutanda duxi, ne impunè ferâs, vel solus curreres, atq; hæc sint satis.

LAVS DEO O. M.

APROVACION.

POR mandado de el señor Doctor don Francisco de Velasco i de la Cueva Canonigo de la Santa Iglesia de Sevilla, i su Provisor en Sede vacante, vide este discurso de el Doctor Pedro de Victoria, Medico de esta ciudad; hallo, que contiene mucha, i utilissima doctrina para los Medicos, i mui saludable para la curacion de la enfermedad, de que trata, i para otras muchas semejantes; i assi me parece, que se le puede dar licencia para que lo imprima. En. 15. de Iulio de. 1610. años.

Doctor Luna Vega.

LICENCIA.

EL señor don Francisco de Velasco de la Cueva Canonigo en la Santa Iglesia de Sevilla, Provisor i Vicario general en ella i su Arçobispado Sedevacante. Doi licẽcia a qualquier impressor desta ciudad, para que pueda imprimir el tratado de medicina de suso contenido, sin por ello incurrir en pena alguna. Fecho en Sevilla, en veinte i uno de Iulio de mil i seisciẽtos i diez años.

Don Francisco de Velasco.

Por su mandado

Ioan Dassa Gomez S.

POSTQVAM NOSTRAE OPInionis rationem statuimus, responsionemq; emisseremus; opus fuit, vt omnia lecturo redderentur patentiora, operi nostro, quartum aduersarij articulum attexere; quodq; à nobis etiam si rectè improbatum fuerit, videat: atq; bene differentem suspiciat. Reliquos vero tractatus articulos, vt frigidos in præsentiarum prætereo.

In primo enim, quid epilepsia sit, & eius causæ exprimuntur (quod neminem fugit) secundus quia nihil continet, pseudo articulus dici debet. In tertio mum sanguinis missionem prægnantibus liceat adhibere, tractat. (hoc iam & vates sciunt) In quartum deniq; quanuis doctrina diuersa offertum, & extra viam primatam deflectatur, insurgere tentaui, non vt laureolam in mustaceo quærerem, sed vt præsentis imminentisq; medendi notam, æquo animo propulsarem.

ARTICVLVS QVARTVS

Quas venas secare oporteat in prægnantibus Epilepsia grauissima ex vtero orta, teutatis: quouis gestationis mense.

HIS Iactis quasi fundamentis, quæ & verissima, ad ea quę dicenda restant, sunt, & apprime necessaria: de venarũ electione quæ in his affectibus secari debeãt, succédit vltima disquisitio, ac indagatio. Quod vt melius, & clarius dicatur, scire expedit Hippocratem, & antiquissimos medicos, vniuersam corporis mollem in tres partes secuisse; in suppremam, mediam, atque infimam constituentes septum trausuersum, & aliquando Iecum, vtrarumque partium; & supperiorum & inferiorum medium, vt ex Hippocrate constat, quem sequtus est Oribas. & Aetius, qua sic constituta diuisione, sic

6. de morbo. vul. t. p.

2.tx. 16. sic de vena secanda statuebant. Vt ex tribus venis quæ in bra-
lib. 7. ad chio sunt, extrema, seu cæphalica dicta; & interna, & ex ea quā
Eust.ca. 5 vocant mediam, seu communem (eo quod ex vtraque resultat)
sor.3 1.li. quæque parum infra brachij curbaturam sita est: ¶ In affectibus
cap.12. quæ supra jugulum sunt, secabant externam. In ijs vero quæ obsident infra jugulum vitijs, thoracis scilicet, iecoris, & lienis regionem, atque septi transuersi apperiebant basilicam, sicut in affectibus vtrisque partibus communibus, ad communem venam tundendam accedèbant. Quando vero infra jècur, & septum transuersum erant affectiones sitæ, vt in vteri passionibus, vesicæ, & infimæ ventris regionis, venas inferiorrs, poplitis scilicet,
2 aut malleolorum tundebant. ¶ Licet de renibus non eandem sententiam vbique obseruasse visus sit Galenus, si quidem aliquā do ad brachia confugit, aliquando ad inferiores partes deuènit. Quod inde factum esse puto, quod in renum inflammationibus modo recens inflammatio sit, ad fluxionis originem, quæ in superioribus partibus creditur esse, humores reuocàre studeant, ali quando vero, vt pote jam ad declinationem vergente inflamma-
3. tione, deriuationem magis affectauerit. ¶ Verum ad rem nostrā sat est me dixisse in vterinis affectibus, ad venas inferiores illum
4 deuenisse: quanquam Aetius, & alij his nostris temporibus, ex brachijs euacuationes primum inceperint, in inflammationibus vterinis, in principio existentibus; id què timentes, ne nimia hu morum sarcina in corpore existente, maxima ea colubies in vterum inflammari inceptum deflueret: atque subinde, & tumores, & maiorem inflammationem concitàret. Metus autem iste, ab eo profecto cardine pendet, quod his nostris temporibus paruissimæ, & vncijs metitæ fiunt euacuationes, vt antea dicebamus: quæ potius ex altis corporis partibus ad inferiores trahunt, atq; sic magis augent, quam minuant tumores. Quod antiquis illis non eueniebat, cum largissimis factis euacuationibus, non esset locus vt sanguis aduocatus ibi contineretur: imo vt trahebatur,
5. euacuabatur. ¶ Vnde fortassè arripuit occasionem Hieremias
Comp.5. vituperandi hodiernum vsum in sanguinis euacuationibus, cum
4 apho. dixit. Potius ad vindicandum medicum à culpa, & á calumnia, quam vt in ęgrotantium leuamen cèderent, esse inuentas tales sanguinis missiones.

6. ¶ Verum vtcumquè res se habeat, sat est intelligere, vt terinas, & inferiorum partium affectiones, gaudere euacuationibus, infernis partibus factis. Hæc eó dicta sunt, vt certum sit, sangui

nis

nis euacuationes in epilesijs vterinis, ex infernis partibus debere exerceri. Atquè cum vtilissimum sit, certa ab incertis separare, non est qui dubitet hoc remedij genus, scilicet sanguinis euacuationem in talibus affectibus; in ijs quæ vtero non gerunt, sic esse ineundam, cum ex repletione sanguinis in vtero fiant. An verò hæc eadem curandi ratio çquè in prægnantibus fieri debeat, an verò multum euariet, ita vt nusquam liceat infernas venas inscindere in prægnantibus quantumuis ex vtero ægrotent grauissimé siue hoc, siue illo morbi genere, non leuem parit difficultatem. Atq; hoc est à nobis modo expendendum, cujusquè gratia, omnia hucusquè dicta sunt.

Quidam enim religiosissimè obseruandum putant nunquam licère ad venas inferiores prægnantium, quantumuis ex vtero, grauissimo affectu corripiantur, manus extendere. ¶ Quorum ratio, & fundamentum hoc est, quod nulli gentium vteri aborsus procurandus sit: imo fugiendus omnino; atque non minus fœtus vitæ, & saluti, quam matri sit prospiciendum. Aristoteles etiam id asserit dicens. *Nam postquam concepti sunt, & sensum & vitam acceperunt nefas est attingere eos.* 7 *Lib. 7. Politi. c, 16.*

¶ Addunt preterea, antiquissimum esse gentibus omnibus, aborsum esse inuisum, & detestandum: imo & leges & jura grauiter insurrexisse semper in eos qui aborsum solicitarunt. Ita etim scriptura legimus, eo libro cui titulum fecit Galenus. *An animal sit quod in vtero contineatur.* Hippocrates etiam jurejurando affirmauit, se pessum ad fætus perditionem nunquam dedisse. Quin & nos Christiani, Pontificum, & sanctorum Patrum decretis sæpe fuimus moniti, ne tale facinus molliamur. Sixti etiam Quinti Pontif. Max. Proprio motu, & pęna grauissima, tale delictum fuit vetitum. *A* Cobarrubias etiam, *B* Siluester insignis, C Nauarrus, Iacobus de grafis in suis decisionibus aureis. 1 p. lib. 2, ca. 63. omnes hi, tanquam homicidas plectendos statuunt, qui aborsus causam dant. Cum ergo hæc ita sint, atque sanguinis missio ex inferioribus venis, menses, & subinde aborsum concitet, videtur nulla ratione tales venarum incisiones esse amplectendas. Quod autem tales sanguinis profusiones, aborsum porritent, testatur Auicena: docens inter causes aborsum excitantes, esse saphænæ sectionem, vt pote quæ vehementissimum motum, impetumque ad inferas pertes inducat. Galenus etiam docet sanguinem in vtero existentem, ex sectione venarum inferiorum ab vtero deriuari. Quod si ità est, necessarium est, & san- 8

A Clement. si furiosus 2 p. Par. 3. in 1.
B In summa i nuo. Medi. n. 4.
C Cap. 25. manu nu. 62. n. t. 4. Fen. 2 1. 3

 guinem

tract.2. c. 12. guinem ibi existentem profœtus alimonia, auferendum necessario esse; atque subinde præ inædia puerum ad aborsum pellendũ *2.de arte curandi ad Clauco. 9* fore. ¶ Vnde factum est, vt ex decreto omnium medicorum, hodierna die, eas venas eligere opporteat, quæ vel nullam, vel minimam, cum vtero, & venis quæ illuc sanguinem defferunt, habeant communionem. Ita vt doctissimus Ludouicus Mercado, ad venam cæphalicam, & mediam secandam; medicos hortetur, fugiendasque internam, & saluatellam; & omnium multo magis *Lib de morbis mulie. curandis cap. 24.* saphenam, suadeat. In cujus rei confirmationem scripta reperimus in Nicol. Rocheo viro doctissimo, hæc verba. *Quanquam Hippocrates & Galenus dixerunt: Aborsum pati mulieres vtero gerentes, si sanguinem è vena misserint; tamen passim video medicos, quarto, quinto, & sexto mense axillàrem venam, & interdum mèdiam, atque saluatèllam audacissimè inscindentes, ijs quibus opus est, nec propterea perijt fœtus.* Hæc ille. Ex quibus verbis tria ex Rocheo ego colligo. Primum, sanguinem posse mitti, in ijs quæ vtero habent, citra aborsum, contra ac insinuarunt Hippoc. & Galenus; secundum, venas inscidisse mensibus majoribus, nam quarto, quinto, & sexto, id factum esse citra aborsum, testatur. Tertium, quod insinuat, est saluatellarum sectionem, audacissimam fuisse; idque quantum arbitror, quia saluatella maximam vim habet in distractione sanguinis ad vterum tendentis, vt pote quæ, è directo, jecur respiciat: à quo tanquam à scaturigine, & primo fonte, alimentum fœtui suppeditatur. Ejusdem factionis esse videtur Hie- *Lib. 2. de morb. mulier. cap. 1 ante finem* ronymus Mercurialis, dum sic fatur. *Sed si sit in primis mensibus, (loquebatur de prægnantibus mulieribus) si ad huc indicationes, mittendi sanguinis sint, potest tuto mitti eo tempore, per sectionem venarum brachiorum: nunquam enim in grauidis, licet sanguinem mittere à saphena, eo quod ex sua natura, ea sectio prouocat menses: quod quidem pernitiosum est in grauidis. Ergo erit mittendus sanguis à vena brachij. Nec per cucurbitulas consulo mitti, quoniam àgitant, & à profundis trahunt.* Per hæc verba, absolute author hic eruditissimis, inferiorum venarum sectionem prohibet, atque non minus cucurbitularum admotiones.

Hæ sunt, atque aliæ multæ virorum doctissimorum sententiæ & rationes quas silentio, libuit inuoluere, quæ omnino fugiendã esse venarum inferiorum apertionem, dehortantur. Quia tamen mea sententia, sæpe contrarium facere expedit; ita efflagitante affectu, ratione etiam ex multis memorijs fulcita. Vt quid tenendum sit, apperiam: quædam sunt necessàrio prælibanda.

Et primum ante oculos, est illud Hippocratis vtilissimum præceptum. ¶ Medico semper esse obseruandum, dum morbis præsentibus medetur, aut futuros timet, aut status naturalis conseruationi incumbit; vt scilicet consideret humorum in corpore existentium motus, vergant né benè, an malè? Quod est dicere; considerandas esse humorum delationes nunquid bene, & in naturæ 10.
gratiam & beneficium sint? atque exinde vtilitas aliqua ventura sit, aut secus. ¶ Si enim ex partibus præcipuis, V. G. ad euacuationis vias, aut aliquam nostri corporis partem, quæ infimæ notæ sit, & seruile agat officium: vt sunt emunctoria, & adenòsæ partes, aut extra corpus fiant effluxiones aliquæ cum conferentia & tollerantia, permittendus talis fluxus est, & juuandus, qui segnior, quam pro corporis dispositione steterit. Si autem impetuosus aliquis defluxus, partem aliquam principem impetat, promittens labem & noxam parti cui affluit, arcenda talis humorum collubies, & impetus est reuellendus, atque eo magis & citius, 11.
quo vberior est decubitus, & pars quæ eum susceptat præstantior. Dicebat hoc Hip. sic. *Reuellere, si quò non opportet vergant: sin autem quò oppòrtet, ijs oppòrtet apperire, vt quæcumque rèpunt.* Quæ verba euidenter monstrant, quod modo docebamus. Idem etiam edixerat, hac serie. *Quo natura vergit, eo ducere opportet per conueniètem regionem, cui sanctioni consentit in commento eiusdem sententiæ Gal. ad finem dicens. Medico autem opus est, vt motum naturæ, & ejus propensionem obseruet; quia si ea est commoda & rectè se habens, juuanda, atque adeo illi ministrandum. Contra autem si cum discrimine aliquo & cum dammo, illi occurrendum est, translatione, & reuulsione. Hoc itidem scripsit Galenus sic inquiens. Dictum vero de hoc, in eo libro est. Quare nunc quoque, si etiam valenter nunc fluxio irruat, deuèllere ad contraria studèbimus, vtique si in supperioribus vlcus consistat, per inferna purgantes: si autem in inferioribus sit, supperiorem ventrem vacuantes.* 6.epid. 1. 2.& li.p. aphor. 20 2. epid. p. 3, & li. 1. apho. 20. 4. m. cap. 6.

Fuit què maxima cura Gale. Antiquioribusquè omnibus medicis, & in summa, quibusuis artem medicam exercentibus: vt humorum in aliquam partem fluxum, qui parti non erat ex vsu futurus, auerteret summis conatibus, atque sic dicebat. *Fluentium humorum retractio, quam Antispasim græci vocant, eorum autem qui jam partem obsederunt, deriuatio medella est.* Ergo auertendus, atque in contrariam partem trahendus est omnis fluxus inutilis atque id tanto citius, quantó fluxio major est, & magis in principio steterit, atque pars fuerit excellentior. ¶ Quam auersionem docet 2. ad Glauc. 2. 12

 Galenus

13. metho di c.6. & 11. & lib. de nat. hu man. tx. 9. Galenus diuersimoda faciendam; aliquando enim ad distantissimas partes, tale opus præstat; aliquando ad contrarias, etiam si multum dissitæ non sint, aliquando verò ad fluxionis originem reductis, reuocatis què succis, vnde scilicet prius diuèrterant. Facit autem hoc, aut illud, prout affectus & affectæ partis conditio, citius aut tardius subsidium postulat: aut (vt exquisitius loquar, euitemque inutilem argumentorum argutiem,) pars affecta id postulat. Quæ cum ita sint, certissimum est inter omnium reuulsionum, & detractionum genera, illud esse omnibus præstantius, & vtilius, quod est ad flúxionis originem, & mineram transmissi humoris. Quod si fieri possit, vt pars quæ transmittens est cognoscatur; non dubium est, quin ab ea, tractionis principium ineundum sit. Estquè tanti momenti, & efficatiæ, deductio humoris ad transmittentem partem; vt passim contingat, affectiones diuturnas, quæ nullis retractionum generibus cesserint, solum facta ad principium fluxionis retractione, destitisse. Atque cum tot modis reuulsio fieri possit, ea erit alijs præstantior, in qua plures conditiones coierint. Vnde si cui detur, posse retrahere humores ad distantissimas partes, simul & contrarias; atque illæ ipsæ fuerint, in quibus est fluxionis principium & fomes, omnem reuulsionis legem adimplebit: quanto vero aliquæ defuerint, tanto reuulsio debilior, & minus efficax resultabit.

13. ¶ Illud etiam non minus, in fluxus medella considerare oppor tet, imo imprimis, & ante omnia; quantum scilicet in partem fluxione tentatam irrepserit, quantum vero transmittendum restat.

14. ¶ Si enim quod inflnxit, parum est, multum autem in parte transmittente, dimittendum; eo tempore animum magis ad id quod fluxurum est, quam ad fluxum, conuertere opportet. Quamuis enim eo ipso quod aliqua pars fluxione tentari cæperit, aliquid

15. jam in parte relictum sit, ¶ Nam hæc est motus cujus vis natura, vt moueri, mutatum esse sit annexnm; vt calefieri, calefactum

6. Phisico. 6, & Gal. 1. de loc. c. 6. & alibi sæpe. esse, solutioni, solutum esse: vt euidentissime demonstrauit Aristoteles: nam aliàs, si partem quæ calefit, caloris nihil in facto esse habere statuas, habebit sane se, sicut antea quam calefieret se, habebat: ergo nec motum aliquem recepit; ac per consequens nõ mouebatur antea, quod supponitur, & contradictioné inuoluit) tamen influxionum principijs, aut parum aut nihil facessit quod in parte receptum est.

16. ¶ Id autem quod transmittendum restat, consideratione maxima, & attentione indiget, atque vrget, promittens in posterum

læsionem

læsionem maximam in parte suscipiente, atque sic, curatio ab eo ineunda est, aliquali habita facti consideratione, vt pote quod magis vrgeat: si vrgentiam teneas cum Galeno nihil aliud esse quam imminentiam periculi: imminet autem magis, eo tempore transmittendum, quam transmissum. Atque quamuis in omnibus affectibus à causa pendentibus, duplex videatur suborta indicatio altera ejus quod fiens, altera ejus quod factum est; attamen influxionum principijs, quod receptum est, parum: quod producendum superest, multum est. ¶ Quare ad inhibitionem fluxuri humoris occasio tunc captanda est, celerrimèque reuulsioni incumbendum est, & eo remedio pugnandum, quod securius esse possit; etiam si tardius; cuiusmodi nullum aliud esse potest, quá distractio ad distantissimas partes. ¶ Quo enim quis ab inimico sibi infestissimo, à quo maxime timet de morte sibi inferenda, lõgius distat; eò securius degit: sic profecto quantò quis influentẽ quemuis humorem, offensionem alicui parti inducturum, si illam semel apprehenderit, in distantem magis regionem retraxerit; eò multo securior erit pars afficienda, vt Galenus consulit euulsis humoribus ad distantissimas partes, quamuis affectionis, & affectæ partis tardius videatur accedere remedium: at securitas, celeritati anteponenda est, ea occasione. ¶ Atque ita dictum, intelligo præceptum illud Hippocratis dicentis. *Quasdam esse morborum occasiones, in quibus tutius, quam celerius; & alias in quibus celerius quam tutius sit agendum. & ex inde quandoque securitatem celeritati anteponendam esse.* Quæ Hippocratis sententia, nullam meliorem occasionem potest nam scisci, quam influxionis principijs quantum suspicor.

3. apho, 19 & 7. de cõp. med. secum. loc.

17

18

13. meth. ca. 11.

19

1. de mor. in principio.

¶ Hæc cum ita sint, constanter existimo, si leues, conuulsiones prægnantiũ sint (qualem animo concipio, eam fuisse conuulsioné quæ Dorcadi contingit, vt refert Hippocrates) à sanguinis missione omnino abstinendum esse, atque alijs remedijs aduersus morbi causam pugnandum. Verum si sit grauíssima aliqua cerebri affectio, vt epilepsia, quæ apoplexiam minètur, atque ex vtero ortum ducat, cui remedia alia non profuerint. ¶ Neque possit alia ratione subueniri, nisi substractione furiosæ materiæ in vtero existentis, tunc ex talo sanguine misso, ea quantitate quæ redundanti in vtero sanguini correspondeat, & si aliquantum minori, habita ratione fætus, & matris vtero gerentis, medendum est. Optimum autem esse, & debitum in proposito affectu, & occasione, ¶ Talem curandi modum: probant mille Hippocratis, Galeni,

20

3. prorit. 2 & in choa eijs præno tionibus.

21

22

Galeni, & antiquorum sententiæ; & id indicat debita curandi ratio; tum etiam, & experientia, & obseruationes, innumeræque memoriæ similium casuum. Et cum cuiuslibet doctrinæ tradendæ, nulla alia sint media, quam experientia, & ratio; àge igitur nostram sententiam, his eisdem instrumentis demonstremus.

23 ¶ Atque imprimis, stat Hippocratis sententia huic nostro instituto confirmando, haud parum conferens, vbi ita scriptum reliquit. *Occasiones vnde quis ægrotare cæpit, considerare opportet.* Et alibi eandem sententiam ita scriptam legimus. *Occasiones vnde ægrotare cæperint considerare opportet, siue corporis fuerit dolor, siue auris, siue lateris signum autem sunt dentes, & in quibusdam, inguinum tummores.* His duobus locis eandem exarauit sententiam Hippocrates tanquam dignam, vt ante oculos semper habeat, qui affectibus medendis incumbit, & quam non oscitanter pertractare licet. Quibus admonet causas, & principia semper esse obseruanda, in primis curationum principijs: certo existimans, vtilitatem nullam subsequi posse, nisi à causæ remotione, curatio capiat initium. Manente enim quæ affectum creat causa, frustra profectó medendum putes, & obuiandum affectui. Huc respiciebat Hippocrates, huius præcepti non immemor, dum in Estimargi famula à sanguinis missione curationem incæpit, etiam si tremores vniuersum corpus occupassent: quia tremoribus, retentæ á partu purgationes, initium dederant: atque ita cum ex contrariorum lege, retentæ euacuationi sanguinis missio deberetur, atquè cum affectio vterum infestaret, ad causam morbi respiciens, vacuanto medio vsus est; ad situm autem animum conuertens, in talo secuit venam, quando affectio in vtero existebat.

2. epid. p. 1. tx. 40. ad finem.
6. epid. p. 5. tx. 18.
2. epidem. sect. 4. ad finem.

34 ¶ Verum libet huic nostræ tractationi historiam ancillæ Estimargi inserere, quod sciam huic nostro instituto maxime conferre. Ea autem historia, duobus locis occurrit scripta: Nam eam legimus apud Hippocratem citato loco, & eandem etiam scripsit Galenus, & si sub alia verborum seriæ, tamen vtrobiquè idem sensus est: & eadem mèt historia narratur. Habet autem dictio Hippocratis in hunc modum. *Estimargi famula Idumæa erat, quæ vbi peperisset filiam, vteri osculum contortum est; & inter coxendicem, & crus, dolor descendit: hæc, tali vena secta liberata est, quanquàm tremores vniuersum corpus detinèrent, sed ad causam deueniendum est, & causæ principium.* Hac Hippocratis sententia docetur, in Estimargi famula, cui suppressæ erant menstruæ purgationes, secta vena in talo, at que sanguine detracto, sanitatem fuisse cōsequutā.

lib. de Horrore rigo. & palpit. cap. 5.

Atque

Atque extòllens Hippocrates remedij necessitatem, scilicet sanguinis missionem, hæc dixit. *Secta vena tali èst; etiam si tremores vniuersum corpus detinèrent*. Quasi dicat; ausus fui sanguinem detràhere in muliere quæ affectu frigido videbatur esse correpta; attentionem habens ad causæ principium, scilicet ad sanguinem retentum: qui & luxationem vteri, & tremores causabat.

Vt melivs autem enérgiam & vim, quæ in Hippocratis histo-ria continetur, agnoscas; aduerte; apud antiquos medicos & Philosophos, eam viguisse opinionem (vt clare colligitur ex hac historia & ex cap. 5. lib. aduersus Erasistratum) tremores omnes, frigiditatis esse soboles; quod etiam Aristoteles sentit: Cum ergo hæc ita essent, sanguinem ausus est detrahere Hippocrates cõsideratione habita, ad causæ principium. Verùm, falsam esse sententiam sentiẽtiũ, oriũdos necessario fore tremores omnes ex frigiditates, luculentissime; & ex professo docet Galenus, citato libro; quo loco, & capite, quod fere commentariolus dicte Hippocratis sentiæ est, docet palpitationem omnem sobolem esse frigiditatis. Verum tremorem aliquando ex frigore, vt ijs contingit, qui per frigida loca iter fecerunt. Tum etiam, & in principijs accessionum. Aliquando etiam ex debilitate per essentiam: vt in largis hæmor agijs, nimis euacuationibus, aut sudoribus syncopticis, solet euenire. Multoties enim vidimus his de causis, artus omnes contremiscentes. Aliquando vero, neque id raro vidimus, tremores ex nimia copia humorum, ad facultatem colata insilientes. Cum ergo hæc omnes causæ, variæ sint, vt apparet; atque curationis scopus varius sit, exvaria morbum efficienti causa; constat, tremoribus ex frigiditate, calefactiones & fotus conducere, ijs qui ex euacuatione, refectio proculdubio conuenit; in quibus, si euacuanti aliquo auxilio vtàris, extremam indùces perniciem, ijs autem tremoribus quos multitudo facultatem grauãs parit, nullum exquisitius inuenies remedium, quam si euacuando cures. Hac igitur ratione Inquit Galenus, in Estimargi famula, á secta vena, curationem inchoauit Hippocrates; nam illos tremores excitárat, sanguinis euacuandi copia, & in vtero retenta. Et cum particulæ situs, veluti digito, commostret euacuationi locum accommodatum, & debitum: hinc factum fuit, vt sectione venæ ex talo, tremoribus occurreret Hippoc probe cogitans redundantiæ, & suppressæ euacuationi euacuatione esse opitulandum: & cum ea esset in vtero (ibi enim erat ærarum detenti sanguinis) ex talo, aut inferioribus partibus, euacuationem esse faciendam.

3. Problematum.

Sect. problemate. 5

De tremore, & pulpitat. ca. 5

ciendam. Maximi enim momenti (inquit Galenus) semper esse, per eas venas, molliri euacuationem, quæ communionem habẽt cum affecta parte. Si enim aliæ, quæ communionem non habuerint, cum patienti loco tundantur, nulla vtilitas accèdet parti, in qua subest multitudo, & prima affectio. Accresceta; sane parti, & inculpate degenti, insignis noxa: atque eueniet, quod vulgo circunfertur; alius peccat, & alius plectitur. Cum igitur satis Hippocrati innotuisset affectio, affectionis causa, & locus affectione obsessus, ad talum se conuertit, juxta sententiam quam supra attulimus; semper illum, & Galenum, atque omnes fere Græcos, in affectionibus partium quæ septo transuerso, & jecori sub sunt, ad inferiores venas manum extendisse. Nullibi enim, ex eorum scriptis constat, (Hippoc. inquam & Galeni illos) in vtero patiente ex supperioribus venis, quæ in brachio snnt, euacuasse. Quod plane constat, tum ex alijs locis, tũ præcipue ex apho. 36. 6. sectionis, vbi id expresse docet Galenus, vt legenti fiet manifestum: etiam si in Galeno videre sit, pro fluxibus ad vterum euenentibus sistendis, sanguinem ex brachio euacuasse illum, vt infetius dicemus. Quæ cum ita sint. vt re vera sunt; quis non videat in proposita quæstione, & dubio, curationem earum quæ grauissima epilepsia exercentur, quantumuis habeant vtero? Si vterus epilepsiæ causa sit, quod in eo maxima copia inutilis sanguinis subsultet, tumultueturque, debitum præsentaneum, & necessarium remedium in euacuationibus, ex inferioribus partibus factis consistere. Veluti fecisse Hidpocratem constat, in historia nuper allata: cum non putaret aliuude, petendam debitam curationem, quam ex infimis venis; ea solum ratione, quia materia quæ affectionem excitabat, & fouebat, situm inferiorem occuparet; puta vterum.

Lib.6. aphо.36.
2.ad Glan cono.c.2.

Ad hæc. quis vnquam, qui exacte chirurgicam medicinæ partem exercèret, in epilesijs quæ ex infernis partibus principiũ habent, euacuationem ex aliqua parte, quam ex infernis inchoauit? 25 In qua re, concors est omnium medicorum sententia, nullatenus licere, curationem aggtedi. ¶ Nisi ex parte quæ minæra est, & fluxus fomes. Hoc etiam docet Galenus, quendam puerum epilepticum, (dicens) saniteti restitutum, ex synapi & taqsiæ applicatione, & ligatura forti supra crus facta eo quod initium epilepsiæ dabat aura, quædam ve substantia, ex crure in capitis regionẽ præreptans.

Lib.3, de loc.affect. cap.7.

Quam eandem sententiam, & curandi rationem amplexatur

Alex.

Alex. Tralianus dicens. *Sin autem, neque stomachus, neque caput, morbi habeat originem; considera, num ex alia quadam particula, hic sumat initium. Nam alij, à supperiori pedis parte, quæ Tarsos græcè dicitur, alij à tibia; alij ex alia particula, morbi accessionem sentire visæ sunt: & si tale conspectum fuerit, etiam illi potissimũ parti, prospicito; & totã ei curationẽ adhibeto.* Per hæc verba satis patet, quid visum fuerit tanto viro, & tan apprime curanti de epilepsia curanda, quæ originem duxerit ex partibus infernis. Quin & paulo inferius subdit, se, lectorem quendam curasse, eo affectu correptum, qui ex aura frigida, ex pede ad caput ascendente, in epilepticas accesiones incurreret; atque tandem, sanitatem adeptum esse, ex impositione lepidij, (quod masturcium siluestre est,) & adurenti facultate præditum; in crureque, vi medicamenti vlcere excitato, à quo, sanies, & humor quidam tenuis dimanarat: quę sanitatis adeptæ fuit causa adequata, & totalis.

li.1.c.15. Parag. cn ratio cerũ qui ex alia particula, comitialẽ morbũ experiuntur

Cui eidem sententiæ adhæsit *A* Aetius, fere eisdem verbis. Neque aliter sentit *B* Paulus, eisdem subscripsit *C* Rassius in re medica exercenda, cordatissimus & expertissimus, inquiens *Locus à quo oritur passio ex synapi, pipere, euphorbio, melle anacardi erit epithemandus, & epithema demittendum, vsque vlceretur.* Quæ verba adducit in commento prædicti loci, Arculanus ei libentissimè cõsentiens, addens hæc. *Quod vbi ex vtero talis morbus comitialis dimanat, oportet, vt materia ex vtero eradicetur, prouocando menstrua cum phlebotomia saphenarum.* Hæc enim ipsius verba sunt.

A li.2.serm. 2.cap.18. B lib.3.c.13 C 9.ad Almasor.c.8

Concors igitur omnium, qui hodierna die medicinam factitãt, vna sententia est: sic omnes epilepticas ex vtero tractandas: neq, est ratio vlla, author vè, qui aliter faciendum dictet. Vnde constat euidenter, totam curandi energiam, & vim, si pro votis curatio finem sit consequutura, consistere in prohibitione ejus quod ex parte transmittente insurgit; sic enim inhibetur, ne supperas ascendat partes. ¶ Cui sententiæ adminiculantem habemus Auicenam dicentem sic. *Et similer aduénit mulieri prægnanti epilepsia in imprægnatione, cumquè deponit, & euacuat materiam menstrualem, remouetur illud.* Quis hac Auicenæ sententia inspecta, non videat, hanc nostram sententiam confirmari euidenter? atque totam sanitatis rationem, & causam consistere in eductione furentis materiæ, sanguinis scilicet exuperantis in vtero? Ex quo loco, sic argumentor. ¶ Medella quæ debetur propositæ affectioni est euacuatio, & deductio sanguinis, in vtero exultantis: ergo sanguinis missio, si quæ in effectu proposito debeat exerceri &

26 *Fen.1. 3. tra.5.c.8. paulo post medium*

27

 fieri

fieri, infernarum venarum venit exercenda. Antecedens, satis li
quet ex supperioribus. Consequens autem, sic fit manifestum Nã
nullus vnquam, vsque in hodiernum diem, sanæ mentis, animo
concèpit; sanguinem in vtero existentem posse diuelli; ex super-
nis partibus facta incisione. Nam etiam si Aetius, Matthæus de
Grad. Donatus Ant. & alij, pro mouendis mensibus, in præsen-
tia multi sanguinis detractiones inceperint à venis quæ in gibero
sunt; multitudini consulentes, vt tandem deueniant ad appertio
nem venarum, quæ per inferiorum partes prærepant: tamen nũ
quam eo dementiæ venerunt, vt crederent saogninis missione, ex
supernis partibus facta, fluxum esse promouendum. Nam tales
lib. de san euacuationes, vt supra ex Galeni mente prouabimus, potius sis-
guiniemis tunt, & euacu. tiones detinent, cum in contraria humores propel
sio. c 9. & lant, quam promoueant. Imo cum dicti authores, a supernis in-
cap. 18. cipiunt euacuationes, id faciunt, vt melius possint sanguinis flu-
xum per inferna concitare, incisiones secundo loco aduentantes,
28 ex infernis venis. ¶ Timent enim, ne maxima humorum copia,
& plenitude in corpore existente, si sanguis ad infernas partes ad
uocetur, obstructiones oboriantur, & subito, & confertim facto
sanguinis, ad venas quæ in vtero sunt confluxu; solent enim obs-
tructiones, ex sanguinis multitudine subsequi, si copia maxima in
angusta loca còfluat, sicut crassities. Gal. id demonstrante. Res-
tat igitur euidenter, saphenæ appertionem in vsum necessario eo
tempore euenire.

29 ¶ Ad Hæc Galeno indubitabile ratum, stabilitumque est, symp
tomaticis affectionibus, qua talia sunt, neque curationem debe-
ri, neque eorum causa curationis ordinem immutandum esse; (ni
si causæ rationem subierint vires labefactantis, nam si tale quid-
piam illis contigerit, tota curandi ratio, ad illas solet conuerti,
Galeno id edocente) At epilepsia ex vtero, aut ex quanuis alia
12. Meth. parte emanans, rationem symptomatis habet: ergo curandi nor-
cap. 1. ma, & principium debet esse à parte primo affecta, quæ trans-
mittens est. Nam re vera vt docet Galenus, sæpe numero con-
tingit, vt morbus morbum sequatur, ita vt vnus respectu alte-
30 rius, rationem accidentis, & syptomatis habeat. Iuxta quam
lib. 7. a- sententiam, idemmet. ¶ Gal. refert antiquos medicos, eas fe-
pho. com. bres, quę citra alicuius particularis membri inflammationem cõ
42. sisterent, ex sola humorum putrescentia in venis existente, febres
simpliciter appellasse, aut febres, morbos, eas autem, quæ ex inflã
matione alicuius particulæ dependèrent, quales sunt pleuritico-
rum

rum febres, & quæ ex inflammatione hepatis,aut pulmonis sunt, eas tales, non febres, morbos; sed febres, accidentia,& symptomata dicebant. Eâ scilicet ratione, quia permanentiam omnem, & generationis, & decisionis modum, & dependentiam ab inflã matione quam sequuntur, haberent; atque euanescerent,ad corruptionem affectus, & inflammationis, à qua productæ erant:nõ quod re vera tales affectiones, & febres crederet non esse morbos (sunt enim re vera, & quibusdam operationibus officiunt) sed quod quemadmodum dixi, quantum ad generationis, & corruptionis modum, eandem viderentur conditionem, & normam habere, atque habent symptomata: quæ quidem, nullam aliunde permanentiam habent, quam ex morbi perseuerantia. In sequuntur enim ita symptomata omnia, morbum; vt vmbra corpus opacum interpositum inter corpus illuminans, & diaphanum.Ex inde ergo est euidens, in Epilepsia ex vtero,quantumuis prægnãs sit mulier, cum ea sit, accidens, & symptoma collatum ad vteri morbum, ex quo fluit; curandam esse, tractandamque veluti symptoma; & saltim in principio, à se motione affectionis vterinæ, esse curationis occasionem captandam,nisi jam eo processerit affectio, vt magis vrgeat receptum in parte, quam recipiendum.

Quæ,si vera sit curandt methodus,vt re vera est,rogo per Deũ immortalem, quare talem curandi methodum prægnantibus, atrocissimis morbis infestatis, á quibus mortis periculum præsentanem subest, relicto debito, & conuenienti ex natura rei remedio, quis denegat? An quod prægnans, sit legem,& pactum cum fætu iniuit, vt magis illius saluti, & vitæ quam propriæ sit prospiciendum? Expedietque, illam mori sinere? At, hoc charitatis bene dispositæ metas ægreditur. An putant, qui debita, & necessaria remedia, in grauissimo affectu, ratione imprægnationis omittunt, se minus inique agere, dum miserè, matris mortis causam dant, quam si ex professo, fætus aborsum, perditionémque affectarent? Ego certissime existimo, vtrosque ita operantes, grauissime errare, & qui aborsui operam dant,& qui matrem, auxilio,& remedio necessario destitutam,mori permitunt. Quã obrèm, id cauentes, ita segerere debent, vt quantum sit possibile, vtrique prospiciant. Matri conuenientissimum remedium, & quod ex natura curationis debitum sit,adhibentes: & fætui quantum sit possibile, operam dantes, ne aborsum attingant. In principio igitur, pensata causæ magnitudine, scilicet sanguinis redũdantia, & alimenti,pro matre & puero necessarij indigentia, ad

ſanguinis detractionem neceſſario accedemus, ex talo factam. Verum minori quantitate, propter indicationes tactas, quam ſi vterus fætum nullum contineret: præſertim cum non ita certus ſit aborſus, ex euacuatione ex talo facta, quam mortis periculum ex ejus remedij (ſcilicet quod morbo conueniebat) omiſsione. Innumeras enim prægnantes vidimus, & audiuimus, à quibus ſanguis fuit ex inferioribus partibus detractus, citra aborſum: cum tamē, impudicæ quædam feminæ, eum ex profeſſo affectantes, in hunc finem permiſerint, ſibi copioſiſsimas ſanguinis euacuationes ex pedibus fieri. A quibus euacuationibus, neque menſtruæ purgationes fuère concitatę, neque aborſus fuit ſubſequutus. Ijs accedit, nec ſemper menſtruis deuenientibus, aborſum, fætuſque perditionem euenturam neceſſario. In numeras enim prægnantes cō ſpeximus, quibus ſanguis ex muliebribus locis effluxerit citra fætus perditionem, & exitium. Quod cum animaduerteret, paſsimq; in prægnantibus Galenus, ſuis temporibus euenire videret, eam Hippocratis ſententiam, qua idem Hippocrates edixerat, fætum, ſanum eſſe non poſſe, vbi in prægnante fæmina, menſtruus ſanguis effluxerit; cenſuit, non de quauis ſanguinis menſtrui euacuatione in grauidis eueniente, ſententiam illam eſſe intelligendam; neque qualemcumque talem euacuationem, adhuc vtero gerentibus euenientem, aborſum eſſe facturam, niſi quæ ſatis, magna; copioſaque ſit; talis enim & fætui alimoniam ſubſtrahit, mortemque adducet. Quod quidem nulla alia ratione intelligi poteſt, niſi animo concipias, eas ſolum menſtruorum euacuationes, aut debilitatem, aut aborſum inducturas, quæ grandes, & vberiores ſint. Nam ſi contingat, mediocritatem quandam ſeruare, & non in eo ordine procedere, quem natura ſolet ſeruare ſingulis menſibus (in ijs quę nihil in vtero geſtant) tales euacuationes multoties profuère: in quantum abundantiam, inutilemque copiam deponendo naturam jubant, arcentque puerum in ſuffocationis peribulum, & aborſum expoſitum. Eandem omnino expoſitionem prædicti aphor. propoſuit Philoteus, dum aſſerit in comment. prædictæ ſententiæ, in quibuſdam prægnantibus, menſtruas purgationes eueniſſe, vſque ad quintum, & ſextum menſem ſine fætus noxa aut offenſa vlla. Quam etiam ſententiam, inquit multis alijs placuiſſe, & experientia confirmari. Verum id euenire in ijs mulieribus, quæ multo ſanguine abundant, & vbi menſtrua expurgatio ſatis multa non fuit. Atque Hippocratè, quando dixit: impoſsibile eſt, fætum eſſe ſanum menſtruis decurrentibus:

li. 5. apho. comm. 60.

Eodem 5. lib. apho. 60.

intelligendum

intelligendum esse de euacuationibus largis & ex certis periodis euenientibus. vt alias ex natura solent singulis mensibus decurrere.

Confirmant hanc Philotei & nostram explicationem, Galeni verba, in prædicto comm. quibus ait. Vt supra dixi, tales euacuationes fore intelligendas, si magnæ sint, & similes, singulis mensibus euenientibus confertim; qui enim semel (inquit Galenus) aut bis, paucus sanguis excernitur, sæpius apparet, absque hoc quod fætus patiatur.

Verum, mea sententia, exquisitius multo, aphor. hunc, Hieremias Triuerius interpretatus est, dum hic ait. Fieri non potest vt fætus constet, vbi purgationes pro consuetudine reddeunt: nam fætus alimento suo expoliatur. Verum in primis atque adeo in alijs quibusdam mensibus, citra difficultatem modice apparère possunt: in primis quidem mensibus quia superfluunt; in superioribus autem quia nequaquam toto vtitur sanguine mestruo fætus, sed dumtaxat meliori: reliqua pars fere venenosa est, atque per collum vteri purgari potest: & in quibusdam fortunatis vtiliter expurgatur. Hæc Triuerius. Ex quo clare videas, non quamcumque sanguinis misionem in vtero gerente, etiam per inferiores partes factam necessario inducturam aborsum; cū tamen ad contrarium, id sæpe molliatur natura, scilicet sanguinē fundit, ne fiat aborsus. Ex cujus consequio fit, vt medicus naturæ imitàtor si sanguinem ea quantitate demat, vt solum elliciat id quod in vtero superfluit, in bonum vtriusque & matris, & fætus operetur. Non enim quævis sanguinis ab vtero distractio penuriam, & inædiam infanti conciliabit, sed quæ eatenus processerit: vt non solum redundantem euacuauerit, sed quæ vltra processerit.

Prædicto loco 5. aphor. 6.

Estque aduertendum, quòd si ex illis venis quibus fætus alligatur vtero, sanguis affluat, non poterit cedere ea euacuatio in fætus vtilitatem: si autem ex alijs quibus non pendet, proficua profecto, & vtilis esse poterit. Sicque visæ sunt prægnantes multæ ad huc menstruantes, quæ scilicet sanguine erant redundantes. præterquam quod etiam si alimentum auferendum fætui conjectemus, cum majus jus mater habeat supra suos humores, quam fætus: mater enim à fætu non dependet, fætus autem dependet à matre, adhuc eos licet extrahere pro matris vita tutanda, etiam si sit cum aborsus periculo, qui in dubio est; matris autem obitus certior multo. Nam eo tempore, medicus primo &

per

per se salutem quærit ægrotantis matris, nullo modo intendens abortum: qui si secundario & ex accidenti sequatur, nihil delinquet medicus, vt pote qui tali abortui non incumberet.

31 ¶ Quod si experimenta consulamus, quorum fides fuit semper certissima, & maximam attulit vtilitatem; constabit id quod diximus veram esse curandi methodum, atque omnino amplexandam. Mille namque vidimus epilepticas accessiones in prægnantibus, appertis tali venis conquieuisse. Referam autem quod mihi ipsi anno preterito pridie chalēdas Aprilis multis testibus prę sentibus contigit. Cum enim accersitus essem, vt inuiserem mulierem quandam septimo mense prægnantem, grauissimis conuulsuis motibus tentatam, atque ex vterò malum totum succrescere intellexissem, eo quod ei tunc temporis, aliquautulum in tumorem esset eleuata regio quę circa vmbilicum est; atq; per dies aliquot mihi nunciaretur, rugitibus in ea regione illam prægnantem infestatam, cum etiam animo concepissem, sæpissime, imo fere semper, has affectiones in prægnantibus ab vtero initium capere: cum non profecissent vincula & frictiones brachiorum, nec suffitus ex rutha, asinina vngula, lana succida, & sulphure viuo, his enim omnibus mulierculæ quædam ei stantes vsæ fuerant, atque mulierem cognoscerem esse in præcipiti (creberrimæ enim erant accessiones) jussi sex vncias sanguinis ex saphæna detrahere; quo remedio, tepidiores postea accessère insultus. Verum cum non omnino euanescerent; (infestabant enim adhuc) etiam si remissius aliquantulum, & tardius paroxismi aduentabant. Decem horis transactis, in alio pedè jussi venas præscindere, sanguinisq; repetita & si minori quantitate profusione, epileptici insultus (res profecto aspicientibus, & dictu absentibus penè incredibilis) euanuerunt omnino accessiones, quieuitq; ægra, ac quasi mortua, per duas integras horas restitit, quousque id quod in capite, ex crebris assiduisque, fumosæ substātiæ delationibus inciderat, consumptum est.

Hæc autem, & si debilis ex euacuationibus, vsque indebitum pariendi tempus, fætum in vtero contentum à seruauit, donec incipiente decimo mense, felicissimum habuit partum, infantula quadam gracili, & debili in lucem edita, quæ ad huc cum matre viuit. Ad fuit huic nostræ curationi Doctor Ferdinandus de Sola, qui remedij nouitate admiratus, á me causam remedij qualiter erga ægrotantem administrati, nunquam à se antea visi. Deposuit autem admirationem omnem vir doctissimus, postquam

causam

caufam à me audiuit, contemplatus remedij necefsitatẽ, caufam affectionis, & imminentis apoplexiæ periculum.

Cum autem ex vno exemplo, & ex folo vno cafu, nec experiẽtia, nec præceptum vllum refultet, quod fidem faciat (ex pluribus enim memorijs habetur experientia, & ex pluribus experientijs refultant fcientifica præcepta vt prodidit Arift.) Audi quod quatuor eruditifsimis medicis hujus ciuitatis, præterito anno cõtigit, nono idus Februarij. Cum enim conuenirent illi, cum quibus & ipfe accertus fui ad curandam. D. Annam vxorem Pharmacopolæ fatis in hac ciuitate noti, qui prope Cænobium magnum Dominicorum Diuo Paulo facratum habitat, cui nomen Ortega; eam prægnantem duobus integris menfibus deuolutis, inuenimus tamen dirè cruciatam motibus quibufdam vniuerfi corporis conuulfiuis: præcipue autem mufculorum, faciei, oculorũque. Quam fic ex vtero infeftari, lacefcirique omnes fatebamur, illamque fic curandam fumus exorfi: vt curata eft ea, de qua paulo antea mentionem fecimus. Suffire enim nares jufsimus, ex caftoreo, ex vitumine judaico, frictiones fortifsimas, & fotus calidarum rerum, brachijs primum, tibijs poftea, & infernis partibus adaptantes, & alijs remedijs fortifsimis, vt pilorum omnium partium extractione, earũdemque vellicatione, ex vocatis remedijs methafincliticis. Quibus adhuc omnibus remedijs nihil leuabatur, immo increfcebant magis acceffiones epilepticæ diutius durabant, & intenfius infeftabant. Argumento euidenti nobis cõmoftrantibus infultibus illis atrocifsimis, malum in incrementũ maximum ire.

li. 1. de pofteriori a valici ca. 18.

Cum ergo in eas anguftias omnes nos, miferam ægrotantem conftitutam videremus, alterius confilij, quod opem præfentaneam tanto affectui poffet ferre, deftituti: tandem ad fanguinis mifsionem ex inferioribus partibus factam, deuenimus: rati, fi fanguinis mifsio ex fuperuis partibus fieret, illam nullius frugis & momenti effe futuram, eo quod fanguinem in fupperiores partes afcendentem, talis euacuatio magis adjuuuaret, quam affectui prodeffet, & vtero fubueniret, à quo affectio talis erat, & jugiter fouebatur.

Medici autem qui huic curationi præfentes fuerunt (ex eorum enim notitia major fides accrefcet curationi: funt enim ex doctifsimis, & præcipuis hujus ciuitatis) hi funt. Doctor Chriftophorus Bañez. Doctor Silua, Doctor Ferdinandus Sola, Doctor Leo, cum quibus ego etiam conueni, atque in eorum fententiam

C libentifsime

libentissimé accessi. Ergo hac methodo, & his euacuationibus hanc prægnantem tractauimus, atque (Deo auspice, cui omnia bona debent referri accepta) sanitatem integram adepta, citra aborsum undecimo mense in lucem edidit fætum, sanum & viuũ qui & viuit adhuc cum eius matre,

Sed quid moror in his historijs referendis? Memini me cum Anno 1 5 8 1. è Collegio Theologorum Complutensi (in quo per quatuor annos in aliorum Collegarum consortium, & ipse fui co aptatus) discederem: atque in hanc meam Patriam, Ciuitatem Hispalensem deuenirem ad exercendam medicinam: intrante Vere, diram quandam immanem, & atrocem pestem, fere totam ciuitatem inuasisse, & maximam partem ejus sustulisse. In dubium reuocatum esse à grauissimis medicis, eo tempore Ciuitatem hanc incolentibus, à quonam loco sanguinis missio esset initium habitura, si quando contingeret prægnantem feminam hac labe corripi, simul & tumoribus, hubonibusque in inguinibus nascentibus, aut carbunculis? Res fuit profectó in vtranque disputationis partem discussa satis. Quidam enim ex brachijs, alij ex pedibus sectiones faciendas esse acclamabant, illi quod fætui essetpro spiciendũ, expediretque feruorem in magnis venis prope cor existentem, extinguere: succurrendumq; esse citissimé principibus partibus. Hi potiores multò existimabãt ex infernis partibus euacuationes, nam sic dicebant. Venenum longius distrahi à corde, & partibus principibus. cujus contrarium omnino fieret, si eo tẽpore aliquis se conuerteret ad supernas venas. Venenum enim quod semel præcipue partes in ignobiles depulerant, versus cor præceps traheretur, quod summe malum est.

In re autem adeo ancipiti, ex Doctissimorum placito re bene pensitata, tandem in eam sententiam deuentum est, manus esse injiciendas ad venas, quæ in pedibus, aut cruribus sunt, quantumuis id cum aborsus periculo fieret, dum modo per se ille non intenderetur. Hac enim via, melius quàm vlla alia sanitas vtriusque, & matris, & fætus, sperabatur: cum alioqui si aliter fieret magis probabile esset vtrisque exitium & mors; matris ex veneno ad cor delato. & filij, ex matris obitu. Probabilius enim est matre mortua, & fætum interiturum esse: quam illum in lucem saluum exire, matre perempta. Et ne quid desit, quod ad hujus placiti confirmationem possit conducere, audi quod nostro vulgari sermone scriptum, medici Hispalenses eo tẽpore statuerunt,

El caſo que mas podria hazer reparar a el Medico temeroſo de ſu conciencia, es; ſi a vna muger preñada, le ſalieſſe landre en la ingle, y fueſſe neceſſario ſangraria, pues lo auia de ſer del touillo, y eſta ſangria es pouocatiua de aborſo; ſi la puede mandar ſangrar del? A lo qual ſe deue ſatisfazer con que eſtà el caſo conſultado con Teologos muy doctos; y aunque en la vniuerſidad de Alcala, â auido quien tenga la contraria opinion, ſepa, que della algunos, y de la de Salamanca, y otros, tienen: que como no ſea la intencion del Medico, cauſar aborſo, (que eſto no es licito; por ninguna coſa) que lo que es remedio derechamente, para le ſalud de la madre, que lo pide ſu enfermedad, que aun que ello de ſuyo tenga el prouocar aborſo, no ſe lo puede el Medico negar a la madre. Quanto mas que no es tan cierto, el prouocarſe aborſo con la ſangria del touillo, como lo es morir la madre, y la criatura, no ſe haziendo. Hæc ſunt illorum verba.

Præter hoc, etiam anno 1569. cum Vliſiponenſis ciuitas, horrendiſsima, & immani peſte deuaſtaretur, atque ad ejus curationem, duo inſignes Hiſpalenſes medici, Doctor, Thomas Aluarez, & Doctor Garcia de Salzedo, regio decreto occurrerent; & cum quotidie multa difficillima contingeret, ad eorum dicisionẽ, tractatum quendam Typis mandarunt. Recopilaſam das couſas que conuem guardarſe no modo de preſeruar a Cidade de Lixboa. E os ſanos, & curar os que eſteuerem enfermos de peſte, & inter alia ſic ſtat ſcriptum.

Hum dos acontecimentos que podem dar trabalho, he quando ſe fere deſte mal hũa prenhe da virilha de que parte ſe ha de ſangrar, porque ſe he do artelho corre mais perigo de mouer, que não fazendoſe do braço, os inconuenientes que acima eſtam ditos ſam grandes, & deixar de ſangrarla mayor que nenhũ ſendo em tempo, & en caſo que tenha neceſsidade de ſangria, & he eſta mayor difficuldade por não eſtar determinada, nem tocada de autor nenhum que tenhamos viſto dos que tratam eſta materia, ainda que para iſſo não temos reuolto poucos. Noſſo pareſcer que he que ſe deue de ſangrar pollas razões acima tocadas, que por eſcuſar prolixidad nam ſe referem: E que ſeja do artelho, porque ha meſter ſocorrer ao mayor perigo, que he a morte da mãy, de donde tamben ſe ſegue à morte da criatura que não ho mouer.

Tandem Doctor Franciſcus Sãchez de Oropeſa, vir in remedica ſatis inſignis, anno 1599. rogatus ab Aſsiſtente, & Senato-

ribus hujus insignis Ciuitatis Hispalensis, vt compendiariam quã dam, & in breuissima capita redactam, curandi rationem scriberet, pro curanda sæuissima peste eodem tempore grassante: libẽ tissimè, & doctissimè id præstauit, tribus conclusionibus totam methodum curatricem continentibus. Quarum tertia, & vltima fuit; quæ hac verborum serie continetur.

Vltimamente, por ser caso que acontece muchas vezes, y depender la determinacion que à de tomar el medico de otra facultad que la suya, en que tengo consultado los Teologos mas doctos que à auido en nuestros tiempos, assi en Salamanca, como en Alcala, y de las Religiones. Y fuera de las Vniuersidades los que è podido, de que tengo los originales firmados en mi poder. Pondre aqui la resolucion que tienen: en si sale una seca en la ingle, o vn carbunco en vna pierna a vna muger preñada, que obliga al medico a saugrar del touillo: si atento a el peligro, que con tal sangria ay de mouer la criatura: si podria sin pecado mandarla hazer? Y concluyen, que aunque jamas es licito a el medico tomar por medio el matar la criatura para ningun fin; pero que quando la enfermedad de la madre, es demanera, que si no estuuiera preñada era vna cosa sn vnico remedio, que no embargante que se tema; que necessariamente se siguiera el aborso; puede, y deue vsar el medico del tal remedio. Porque la muerte de la criatura en este caso, no es fin, ni medio, que se toma, para sanar la madre; sino accidente, o consequente necessario. Y concluyen, que lo puede hazer el medico sin pecar.

Volui autem tria hæc testimonia, quantumuis alicui prolixus visus fuerint, hic, ad verbum excudere, ne quid de esset huic nostro particulari instituto, de venæ sectione in prægnantibus ex talo facienda: quod fidem possit præstare, sumpta indicatione, ab affectu, & affectæ partis situ, & imminentia periculi, & matris obitu ex omissione debiti remedij; nam hic est vnicus & maximus totius huius dsputationis cardo, quo hujus materies machina deuoluitur, & in hoc sæpe fuit maxima difficultas mihi oborta cum medicis, cum quibus conueni, ad prægnantes curandas ex affectibus, quæ bene methodicè, & quod magis est Christianas leges seruando, ex talo aut ex internis brachiorum venis, vacuationibus factis essent curandæ, juxta affectus, & affectæ partis indicationem. Qui stolido potius, quam Christiano quodam timore, fætui magis quam decet prospicientes, miseras matres, & filios stultissimè morti tradiderunt. Proinde si cauère vnicuiq;

in capite

in capite alieno prudentia eſt, caueant deinceps, qui has noſtras breues lucubrationes inſpexerint, à tanto errore. Cumque Vocati fuerint ad curandas prægnantes, non molliantur contrariũ, decepti fucata quadam religionis ſpecie, quam ego potius ſtultitiam, ſordidamque ignorantiam dixerim.

Quibus ſic diſcurſis fundamentis tractandæ doctrinæ firmiſsimis & veris, nullum ſuſpicor futurum, qui claramente, oculiſque (vt ajunt) appertis, hæc fuerit contemplatus, qui non videat ju uenculam, cujus miſeram hiſtoriam ſupra enarrauimus, hoc eodem curationis thenore fuiſſe tractandam, atque medicum in illius ſubſidium aduocatum, ad ſanguinis miſsionem ex talo factã primò eſſe deuenturum, in ipſo curationis limine & principio; neque enim principij limites in illius primo aduentu morbus exceſſerat: vt poſtea probaco, perperamque á brachijs incepiſſe.

Quod vt clarius cõſtet, ad ea quæ dicere paro, attẽtũ animum præſtẽt qui hæc lrgerint. ¶ Agebat ętatis ſuæ infælix ea femina decimũ & nonũ annũ, eratq; in adoleſcẽtiæ initio, & pubertatis fine cõſtituta. Quo tẽpore cũ augmẽti tẽpus deſierit, maximus ſanguinis, & humorũ prouẽtus inutilis in corpore ſolet ſuccreſcere, juxta id quod ab Hipp. dicitur. Sic, cũ Venere vti incipiũt, ſanguinis pro fluuio laborant. Quod itidem Ariſt. elicias, cum dicit. Menſes tunc plurimis fieri, cum vbera ad duos digitos promineãt, & vox puellarum mutatur in grauiorem. Cum ergo ratione ætatis tanta ſanguinis copia in ea ſubeſſet, tum etiam, quia boni habitus erat, & quantum ad primas attinet qualitates, procreando ſanguini eſſet aptiſsima, erat quippe calida, & humida, cui accedebat, ejus vitæ normam, fuiſſe ſedentariam, & vmbratilem; quæque ſplendide, & laute veſceretur, His omnibus cauſis coeuntibus, majorem copiam humorum, in vniuerſo còrppre, & vtero congeſsit, quam pro illi, & fætui alendo, eſſet neceſſaria: quam vt ſepe ſolet, ſagaciſsima natura conabatur, qua melius poſſet parte deponere. ¶ Atque cum eſſet naturalis, & deſtinata via in mulieribus, redundantijs euacuandis occluſa, per nares cepit aliqualem ſuper fluorum immittere portionem: quod veluti digito commo ſtrabant, parcæ illæ, & tentatæ, ſanguinis è naribus euacuationes, quinto, & ſexto menſe euenientes. Solent enim non incommode, retenti menſes ea parte euacuari, & excerni. Vt clare innuit Hippocrates, & ejus fidiſsimus interpres Galenus. Tum etiam & Celſus dicens ſic. *Quæ menſtruis non purgatur; ſi ſanguinem è naribus fudit, vacat periculo.* Et Antonius Muſa refert, viſſas eſſe multas,

32

6. epid. p. 3; tx. 25.
7. de Hiſt. anim. c. 1.

33

li. 5. aph. 33. & Cor nelius Celſus lib. 2. cap. 8.

Antonius Musa in comm. prædicti apho. 33. multas, in quibus menstruæ purgationes non fluxissent, sanguinis è naribus fluore degisse sanas, Præcipue autem, id obseruauit, in religiosa quadam, singulis mensibus per nares sanguinem rejectante. Verum abscessus illi (euacuationes illas, abscessus voco, sic enim Hippocratem fecisse constat) minores erant, quam pro causæ magnitudine, & sanguinis inutilis quantitate, ad vterum confluentis copia, cum aliàs ab Hippocrate edictum sit, & quotidiana experientia comprobatur, hæmorrhagias largas, & magnas esse debere, si remedij rationem, & naturam habituræ sint. Quod Eragoræ exemplo comprobauit, quem Eragorâ largo sanguinis profluuio oborto, liberum euasisse, idem Hippocrates testatur; etiam si medici quidam qui cum ipso Hippocrate, illi curando adderant, id non cognouerint. *1. epidem. temp. 2. Secũdo epid. parte prima.*

Abundabat igitur, multus ea ætate sanguis in vtero, quem euacuare natura summopere effectabat vt aliàs sæpe solet, cum inutili humorum sarcina, & pondere suffocari periclitatur. Cum ergo nulla via id posset præstare, fortassis, quia omnes corporis
34 partes eo tempore fortiores, & vegetiores essent ipso vtero, venis circa ipsum vterũ existentibus sanguine plenis, ¶ Secessit maxima copia illius sanguinis, in aliquam vteri partem (puto in dextram, vt Chirurgus conjecit; eam enim partem potius occupabat tumor, vt ipse Chirurgus retulit) atque magnum malignumque concitauit tumorem, à quo in cerebri partes supperas, vapores quidam tetri fumosique, & mordacitatis satis participes, ascendere ceperunt; tum etiam, & alij citra mordacitaté vapores crassi, aliquatenus sanguinis participes, qui & apoplecticas, & epilepticas motiones excitarunt. (cõuellebatur enim ægrotans, contremiscebantque & vniuersi corporis artus) Quibus deficientibus, & si paucissimo temporis interuallo, adhuc ad se non redibat, sed veluti mortua omni prorsus motu destituta jacebat: Quod indicabat euidenter, obstructionem aliqualem in cerebro ratione eorum quæ ascenderant factam. Postea vero iterum, ex exiguis interuallis conuellebatur rursus, acerrima materia iterum cerebrum impetente. sicque paroxismi infestabant adeo cõtinui, vt vnus alterum exciperet, veluti sub intrantes accessiones essent. Quibus paroxismis accedebat, quod semper posteriores primis essent grauiores & duratione, & vehementia: Veluti digito paroxismis commonstrantibus quod affectus iret in incrementum maximum, majorisque mali augurium certissimũ
35 ingererent. ¶ Horum igitur accidentium, & syptomatum causa vterus, &

rus, & sanguis in eo retentus: cum esset exitum quæritans, omni ratione caruit, non incepisse medellam á sanguinis in vtero existentis, euacuatione, & ex phlebotomia earum partium quæ vterum respicerent, quales venæ inferiores sunt, vt ex dictis satis probatum stat. Quo remedio sanguinis exuperantiam demolliretur medicus, & ad fluxionis originem extraheret, & attentata fluxione parte (cerebro scilicet) maxima fieret reuulsio. Sic enim qui ita facerent, Hippocratem & Galenum imitarentur. qui reuulsionibus semper pugnant aduersus fluxiones. Nam quo modo in affectionibus à fluxione pendentibus curandis, nos gerere debeamus, clarius quam vt dubitationi alicui supersit locus, edixit Hippocrates per hæc verba. Morbos à principio curare oportet & si quidem à fluxionibus fiunt, primum fluxionem sedàre. Si vero ab aliá causa, principiũ morbi sedare, deinde id quod confluxit, & si quidem multum fuerit, educere sin modicum, per victus rationem moderare, ac reficere. Ex his verbis, bone Vir (ad eum orationem conuerto, qui illam curandam primum suscepit) non tibi clarissime innotescit (nisi ea oscitanter legas) prius afluxus semotione, deinde ad confluxum esse deueniendũ: atque inuersam omnino rationem curandi esse, quæ inceperit à semotione ejus quod transmissum est, omissa omnino in morbi principio, transmittentis partis consideratione; cum ea potior multo, imó simpliciter necessaria, eo tempore erat. Ego autem, quid eo tempore fecisti, quid ve alij tua opinione adducti faciendum putent, non curo: Vnum mihi habeo persuasum, semper me eam methodum curatiuam in sequunturum, quã supperius præfixi. ¶ Erroremq; existimo perniciosissimum (vt pote quòd in exitium ægrotantium tali affectu semper cesserit) si quis indicationibus à me exacte propositis rationibusque, & authoritatibus. & obseruationibus in numeris, quas lubens prætereo comprobatis, ad sectiones venarũ quæ in brachijs sunt primo deueniat: cum alias has sectiones subsequi, & eam quæ ex pedibus sit facta, debeat anteire. Verum quid te se duxerit, vt contrariam omnino viã in sequutus fueris, jam dicere aggredior Audiui à te, dum contrariã curandi rationem ei, à qua fuisti exorsus ipse proponeré, rationibusq; fulciré: captasse te curationis primam metã, à sectione venæ cæphalicæ, omisissæ autem eam quæ saphenæ est, duplici causa. Tum quód, quo tempore epilepticam illam curandam suscepisti, jam multum in capite redundabat, factumque multum erat; ita vt eo tẽpore, vrgentior multo esset indicato ejus quod in

lib. de loc. in homine

36

parte factum erat, quam ejus quod in transmittenre parte testabat dimittendum. Atque sic, ex debito curationis ordine, illi prius esse succurendum; & hæc est prima ratio, primumque fundamentum, quo suam opinionem, (ne dicam errorem) fulcitur.

Secundum fundamentum ejus est, quod cum eo tempore duæ partes, morbis ex defluxu conflictarentur, vterus scilicet inflammatione obsessus, & caput epilepsia grauatum, lacessitumque, ea esset futura conueniens curatio, si quæ inueniri posset adhibenda, amplexanda, quæ vtramque partem, & vtrumque defluxum respiceret; qua (dicit ille) nullam aptiorem, conuenientioremque potuisse inueniri, quam ex Cæphalica, aut communi vena appertione facta sanguinisque eductione; quo vnico remedio, vtrique parti occurritur potentissimè, cum ad vtrumque reuulsum, & supperiorem, & inferiorem, præstantissimum remedium sit. Incisio quippe Cæphalicæ influxibus, ad capitis partes, remedium distrahens, reuellensque est, cum á capite ad brachia deducat: Præterea & respectu inflammationis vterinæ, reuellens, etiam auxilium esse dicit, cum fluentes humores, inflammationem in vtero facturos, in contrarium rètrahat, sicque; impedimento sit, vt inflammatio in vtero non oriatur, aut orta, non augeatur. Itaque vtrique reuulsioni consulens dicit, se ex arte operasse, neque aliter ita commode, & vtiliter, & cum fætus præseruatione id fieri potuisse. Sed decipitur misere (præter quum quod aliter cōtigerit, quam ipse met enarrat) nam cum secunda hora ante lucana, affectio inceperit (tunc enim capite, & toto corpore grauari inceperat ægra, ac commoueri; atque deinceps illico, secundū faciem, & totum corpus conuelli, & motibus conuulsiuis tentari) illa proculdubio fuit morbi principium: post quod intra quatuor horas, sexta scilicet illi mulieri ægrotanti opem laturus accessit, sanguinemque ex cæphalica dextri brachij jussit extrahere:

37 ¶ Quod cum ita factum fuisset & intra tam breue temporis curriculum, probabile est certe, morbum adhuc principium agere, aut primam augementi partem; atque eo tempore, non tantum ad caput confluxisse, quod non speraretur fluxurum multo magis, quandoquidem remittebantur paroxysmi, & parum postea inualescebant, magisque & citius aduenìebant, magisque semper durabant, quo ordine inuaserunt, semper vsque ad tertiam post meridianam horam diei, qua tantus, tamque vehemens accessit in vitus, vt affectio illico, in apoplexiam abscederet. Ex quibus apparet clare, illa occasione, qua ille venit, etiam si cerebrum aliquid

quid jam in facto esse haberet, (hoc enim ante demonstrauimus, & Galenus aperte concedit, id scilicet quod per consensum pati tur, eo ipso quod parti alicui compatitur, aliquid necessario acci pere) tamen respectu ejus quod in parte primo affecta transmit tendum restabat, parum profecto esse; neque tanti momenti, vt non magis medentem solicitum exposceret, quam quod jam in parte per consensum patiente, erat comparatum atque adeo, illi esse prius prouidendum, reuulsione facta; ne amplius pars primo patiens mitteret. Quod cum animaduertert Græcus insignis Aetius, dixit. *Qui ante prohibitū humorum influxum statim à principio, locos euacuare nititur: simile facit, velut si quis peremnē putei aquā cū haurire vellit, dum interim inexhaustè lycum assidue riuuli scatuiunt.*

1. de locis affect. c. 6

Sermo. 4. quarti te trablili, cap. 12.

Videat hinc vir ille, aliàs profecto doctissimus, quo nam pacto ad fluxionum cardines sit tota cura, totumque medentis consiliū conuertendum, frustra enim; quispiam puteum aliquem sordidū depurgare conatur, nisi prius riuulos, qui lutū, sorditieq; defferūt excciisset depuretque. Hinc fit vt expediat semper medicū, summe speculari, indigareq; dū aliquē curandum accedat, num ejus mali; cui remedium parat, aliqua in corpore causa sit, quæ ipsum foueat; num vè pars aliqua transmittens, vel alia quæuis occasio in corpore existat, ex qua, & à qua affectio cui medetur, fomentum & generationis occasionem susceptet: tum præterea illum expen dere opus erit, sit ne aliqua euacuatio naturalis suppressa, aut etiam si non illi fuerit à natura communicata; jam diu talis euacua tio humorisque alicuius profusio, ex longo tempore consueta flue re desierit, vt si cuipiam menstruæ purgationes, aut hæmorrhoides fluere assuetæ supprimantur, aut vlcus aliquod manare solitum ab euacuatione destiterit, ita vt arescat, cicatriceque obducatur. Nam profecto, si tale qnidpiam euenerit, non est qui dubitet, suppressæ euacuationi iterum reuocandæ affectuose medicum debere incumbere; ita vt conetur summis viribus, vt euacua tio venire solita citissimè redeat, atque in continua fluxione perseueret: creuens certissimè totum mali principium, & fundamētum, profluium suppressum fuisse. Sic enim Galenum fecisse legimus. 7, Methodi antequam ventriculi curationem ex delfiuxu cu rare aggrediatur. Diligentissime. n. inquirit, num Hæmorrhoides, aut menstruæ mulieribus purgationes, aut per inferiorem sedem defluxus per interualla venientes, quibus aliàs sanitas conseruabatur, cessauerint: quod si factum inuenisset, ab apertione vlceris manare soliti, vel euacuationum prouocatione curare incipiebat.

Cap. 11.

D

bat. Ratus quotiescumque ex partibus minus principibus, ad magis principes humores irent, iterum ad eas partes, humorum collubiem esse aduocandam. Quod etiam in sequutus est Alexander, dum in grauissima angida, & quæ expectandi indutias non dadat, sic ait. *In muliere autem, venas ad talum apperui, cum ipsam mensibus non purgari cognoscerem, atque illinc potius occasionem ei morbi obuenire. ac duplex ægrotanti commodum ex eo subsequutum est, nempe consuetarum euacuationū admonitio, & effectus liberatio.* Hæc illæ. Et certe quem hæc Tral. & Aetij verba de retrahendo primo fluxu, & de transmittentis partis, cura habenda non admonent, mihi videntur mēte carere. Quæ cū animaduertisset eximius ille ¶ Doctor Victor Trincauel, dicit. *Si ex suppræsis mensibus, aut sanguine ab hæmorrhoidibus fluere solito, & cobibito, aliquis capitis affectus concitetur, vt dolor capitis, vertigo, vel insania, vel phrenitis, & res sit in principio dum fluit adhuc materia, & est in motu. Quis est adeo stollidus, qui vellit statim humeralem venam, vel aliam supperiorem esse secandam; cum qui talia fecerit, ad supperiores partes magis concitabit?* Huc vsque Trincauellus.

Lib. 4. c. 1

38

lib. 2. de rat. curā. afect. c. 1.

Ex puibus quantum suspicor, satis superest probatum, & in primo aduentu, illius qui illam curandam suscepit morbum illū Herculeum dictæ mulieris in principio adhuc fuisse, tum etiam, & à methode, & præpostere illam esse tractatam,

Verum contra hæc, insurgit ille, sic dicens. *Nonne sæpe, atque iterum ab Hippocrate. & Galeno est decantatum; affectas prrtes supra jugulnm cæphalicæ venæ sectione conualescere, vt pote quæ cum affecta parte, & cerebro communionem habeat? non ergo opem, & vtilitatem sentiet caput & supernæ partes, è venis adeò distantibus, & quæ nullum consortium communionemque cum capite habent.*

Quibus dicimus concedimusque, ita ab Hippocrate & Galeno esse preceptum: quod quidem etiam nos in supperioribus tanquā verum & firmissimum fundamentum, ad nostræ opinionis confirmationem accepimus, (nisi eorum quæ supra diximus sumus immèmores) tamen huic præcepto verissimo aliud est præmittendum, scilicet fluxionis originem vbi ea in conspectum venerit, esse quæ primam potissimamque in fluxibus exhibet indicationem: ita vt in præsentia ejus corruat indicatio, quam pars affecta præstat. Ac proinde esse anteponendam, & primum locum in curatione habituram, ut diffuse lateque, & verissime supra probauimus: & si aliqualis cura affectus producti habenda sit. Minus multo satisfacit, quod secundo loco dicebat aducebatque in

comprobatio-

comprobationem ſuæ ſententiæ, atque remedij, á ſe erga ægrotantem adminiſtrati: dum ſanguinem ex vena cæphalica fuſum vtrique reuulſioni opem præſtitiſſe dicit. (quod proculdubio ſi liceat liberè, quod ſentio dicere; maxime mihi ſuſpectum eſt. & tã quam pernitioſum judico) nam cum eo tempore, motus eſſet, ex vtero & infernis partibus ad caput, propulſis vaporibus, & ſuperflua vteri materia in dictas partes, quis non videat, eam tranſmiſſionem humurum auctam eſſe neceſſario, & ex inſciſione venæ cæphalicæ, tractos eſſe humores in ſupperam regionem? Atque in ſumma, eam inſciſionem ad celeriorem humorum recurſum in caput, non parum conduxiſſe. Quis enim eſt, qui dubitet verſus partem, in qua fit ſectio, humores allici? Quantum igitur in medente fuit, probe ſegeſsit proculdubio, concitando, augendoq; epileptico affectui frictionibus, & ligaturis brachio factis, & ſanguine in eam partem aduocato.

Non minus nobis diſplicuit, quod ille ſubdit litteris quibuſdã,
quas nobis ille doctiſsimus vir ſubſcripſit. ¶ Ait enim inflamma 39
tionem quandam, maximam & ſordidam eam ægrotantem exercuiſſe, atque in primo illius principio, talem ægrotantem conſtitutam eſſe cum primum, hic vir doctiſsimus ad eam curandam acceſsit, atque juſſum ab eo eſſe, ſanguinem detrahi ex humeraria vena, pro reuulſione, & prohibitione humorum, qui ad vterum decurrebant, ne talis inflammatio in augmentum iret. Hæc ille. Quæ cum audiui, mirari ſubijt, quid ſibi vellit, per ſordidam inflã mationem? Ego quippe, vſque in hanc horam, neque vidi, neque legi, neque andiui tale genus, aut differentiam inflammationis, aut tumoris; cum ſæpiſsime Galenum, & chirurgos inſignes, de inflammationum differentijs, conſuluerim. Vlcus ſordidum, & expuriſsimum ſæpe numero profecto atque forſam hoc erat, & non inflammatio; cui rei facit fidem Doctor Anchona vir in re chirurgica ſatis inſignis, qui refert, maliguum quodam vlcus, & ſordidiſſimum, vteri ceruici inſedens ſe reſpexiſſe, à quo grauiſsimus quidam, & ingratus expirabat odor. ¶ Vt pote quod grangenæ na- 40
turam ſaperet, non ergo inflammatio erat, vt vir hic doctiſsimus commentus eſt; quod inde eluceſcet magis, quod febris quædam paruiſsima, remiſsiſsimaque in ægrotante apparebat; nata ex va-
poribus putridis, humores cordis inficientibus: ¶ Cum tamen ſi in 41
flammatio vterina adeſſet acuta, ardentiſsima, & vehementiſsima febris neceſſario adeſſet, etiam prædicto affectui copulata. Sic enim teſtatur Galenus, neceſſario debere fieri. lib. 6. Epidemion,

 parte

parte 1. com. 2. Et paulo inferius idem affirmat hoc thenore. *Calidas autem, vehementesque febres ab vtero prouenire neminem in artis operibus versatum, præterit.* Atque hoc etiam mille locis scriptum reperimus; quod breuitati consulens, prætermitto. Cum ergo calor adeo intensus, in ægrotante nunquam fuisset, neque lingua nigra nunquam visa fuisset, quod signum etiam in tali inflammatione adesse, citato loco Galenus affirmat.
42 ¶ Non est quod alicui persuadeat, inflammationem adfuisse, aut si vnquam inflammatio, fuit, jam proculdubio in vlcus, & cauitatem quandam rupta, vomica inflammatio, abcessum fecerat, & commutationem; vt inde colligat quisque, eo tempore, inflammationem in principio non esse.
43 ¶ Vt re vera non fuit: sed magnũ, & malignũ quoddam tuberculum, quod in malignum quoddam virus, liuidumque vlcus citissime degenerarit; à quo, ob acres, malignosque vapores in cerebrum delatos, epilepsia consurgit.

Verum, demus quod hic doctissimus vis pettit, inflammationem esse illam, & eo tempore, quo ipse auxiliares manus illi præstitit in principio esse. Nec sic quidem, debitum curandi ordinem, & methodum illum obseruasse, demonstrare aggredior. Quod vt præstem, scire expedit, non vnum semper modum esse, in generandis vterinis inflammationibus; quæ prægnantibus aut enixis succrescunt, cum eo qui accidit, in his quæ nec prægnantes, nec enixæ sunt, aut aborsum expertæ, (has enim sub enixis volo comprehendi.) Quo nam autem pacto, res habeat, audi. Fit certe inflammatio in illis, quæ nihil in vtero habent, nec habuerunt, cum talis accedit inflammatio sanguine tenui, & feruido, ex suppernis partibus, per ramum venæ cauæ descendentem, effuso in vteri substantiam, aut in ipsius ceruicem, quod frequentius accidit: qui quidem replens venas magnas, & exiles, atque cauitates, & poros, tumorem excitat, atque cum ea parte degat inculcatus, & feruidus putrescit, & flogosim, & ardorem, & febrem excitat; atque hic est vnus generationis modus dictæ phlegmonis. Estque etiam communis omnibus inflammationibus, quarumcumq; partium, quantum ad productionis modum; etsi transmittens causa diuersa sit. Verum in inflammationibus prægnantium, & earum quæ fætus emiserunt siue tempestiue siue secus, id accidat nõ est eadem prorsus ratio quantum agitur in principio actu inflammationem producente. Nam inflammatio quæ in enixis, & in prægnantibus oritur, non fit ex sanguine ex supernis partibus tunc decurrente, confluenteque sed ex jam confluxo multo ante tempore,

pore, ſenſim elapſo, ad vteri accceptabula, & partes vtero vicinas, partim tracto á fætu ipſo, pro ſui alimento, partim à natura in eandem partem miſſo. ibique retento, neque exitum habente; quem dicta acceptabula, & vtero partes vicinæ, eo quia eſſet, præ copia inutilis miſerunt in vteri ceruicem, at in ipſius ſubſtãtiã:atq; ſic tumores, & inflãmationes in prægnantibus, & enixis, non eandem tranſmittentem cauſam habuerunt, vt in principio dicebamus; refert autem quam maxime, harum partium tranſmittentium conſideratio, & dignotio diuerſi productionis modi, ad rectè curationem exercendam; nam cum ex antea dictis à me, ſit ſatis probatum vnam, & maximam ſalutis ſpem, ſitam eſſe in conſideratione tranſmittentis cauſæ; inde eſt, quod niſi exquiſite quis cognoſcat fluxionis originem, rectè mederi non poſsit. Dũ igitur vterus phlegmone tentari ceperit, ſi in ea id euenerit quæ nihil in vtero habeat, nec parturierit, ex internis brachiorum venis ſanguinem dèmere, conſulit ratio, & Galenus jubet, ſic dicẽs. *Veluti in locis muliebribus retrahes, ſi eas quæ incubito ſunt ſecueris venas, aut iuxta mammas cucurbitas appoſueris.* Ad reuellandum ergo humores ad vterum euntes, ſecat Galenus brachiorum internas venas. Cuius præcepti, hæc eſt ratio. Quia conjectabile, & magis rationi conſonum eſt, tales inflammationes vterinas, originẽ & occaſionem habuiſſe, à ſupernis partibus, vbi fontes, & ſtagna humorum ſunt, á quibus fiunt illi decubitus, & tranſmiſsiones quam aliunde. *lib.2. ad Glauc.ca. 2.*

Nam inter inguina, & alas, partes ſunt, quæ cardines, & principia maſſæ ſanguinariæ, & fontes ſunt. In quem etiam finẽ vidimus Galenum in Iſchiade, cum plenitudine copulata, ſanguinem primo ex cubito, deinde ex vena malleoli exterioris fundentem. Verum in his inflammationibus, quæ ex partu laborioſo, aut ex aborſu reſultant, ſanguinem non ex brachijs, ſed ex pedibus extrahi, erit conueniens: cum in his effectrix cauſa (vt ſuppoſuimus) non ſit ſanguis, qui ex ſupernis partibus decurrit, ſed ille qui multo antea tempore, in acceptabulis, & partibus vteri proximis deliteſcebat, paulatim & ſenſim coarcebatus; nequaquam tunc confeſtin irruens. Eſt vero ſanguis ille menſtruus dictus, quam obrem, tota illius inflammationis ratio prohibendæ, & curandæ, conſiſtit in euacuatione ſanguinis in acceptabulis exiſtentis, atque ſic remedium petendum eſt, à menſium euocatione. Sic enim & ſemel cepta inflammatio, non ibit in augmentum, & quod in parte contentum eſt euacuabitur; fidem hoc placitum ac- *lib.10. de compoſ.ſecundũ locos.ca. 2.*

lib.3. fen. 21. tract. 4. cap. 12. cipit, ab Auicena, qui totam curandi rationem in menſtruis pro uocandis conſtituit: inſciſione facta in ſaphæna, vt pote quæ ad inſtitutum ſcopum, multo præſtantior ſit, quam ea quæ fit ex bra chijs. Ergo in omnibus inflammationibus vteri, adhuc in principio conſtitutis, non competit ſanguinis miſsio in gibero facta? Immo ſi aliqua poſt partum, aut aborſum pullulet, expedeerit conueniens, hoc ſummo conſilio animaduertens Aetius, in *Sermo. 4. 4. tetrabi blij c. 83.* curandis vterinis inflammationibus, jubet ſanguinem ex brachio educere, niſi poſt aborſum, talis inflammatio fuerit aborta. Quod etiam ego intelligi puto, de illis quę poſt partum ſubſultant inflã mationibus vterinis: nam eadem eſt in vtroque euentu ratio. Qua ſi vellit peritiſsimus Græcus, poſt partum aut abortum, ex tuberantibus inflammationibus, non eſſe ex brachijs, ſed ex pedibus euacuationem tentandam. Cuius rei hæc eſt ratio. Et quia eo tempore natura, per inferiora euacuationem tentat, per conuenientem ſcilicet regionem, quam potius adjuuare, quam ſiſtere expedit (quod ſane fieret, ſi vicė verſa fieret phlebotomia ex brachio) tum etiam, & quia inflammatio (vt diximus) fomentũ, generationẽq; potius habet à ſanguine in infernis partibus circa vterum immorante, quam ab alio, qui à ſuppernis fluctuet, decurratque ad vterum ipſum, aut ejus ſeruicem, quam obſidet inflammatio. Quare exquiſitius multo, quam alij omnes Grçci, rẽ hãc, Aetius diſcuſsit.

44 *A li. 3. c. 43. C lib. 9. ad Euſthac. filiũ c. 50* ¶ *A* Nam Paulus, *C* & Oribaſius, in diſtinctè, & in vniuerſali, ſententiam ſuam prodiderunt. Dum in hujuſmodi inflammationibus, abſolute excubito, ſanguinem mittere præceperunt. Verum quod majorem multo difficultatem ingerit, magiſque ad rem noſtram facit, id eſt à qua parte veniat ſanguinis fuſio exercenda, ſi contingat in vtero gerente maternam aluum inflammatione occupari nam jam concordes video, authores omnes in hoc, quod in enixis ea affectio, ſanguinis miſsione, ex pedibus facta

45 depelli debeat. ¶ Mihi certe, & in prægnantium Eriſypelate aut in inflammatione, ſi ſanguinis miſsione, cũ morbo certandum ſit, eodem curationis genere, vtẽdum eſſe apparet. Itaque adhuc in prægnantibus, ſaphænam inſcindendam eſſe aſſero: eſt autem hujus meæ ſenteutiæ, hoc fundamentum. Quod in ijs, quæ vtero habent, ex ſanguine menſtruo ibi inculcato, & multo ante conflu xo, inflammatio concitata eſt: atque etiam totũ cũrationis negotium, conſiſtit in menſium prouocatione. Nam in hoc conueniũt ambæ inflammationes; tam quæ in prægnante eſt, quã in ea quæ

parturiuit;

parturiuit; quod scilicet ex eadem causa, & eodem modo ad pro ductionem se habente fiant, ac proinde quod eodem modo, debeant quantum agitur, ad curationem tractari. ¶ Nec est quod alicui, hoc videatur dictu, & factu difficile, cum enim, erisypelas in prægnantibus ex necessitate, sit mortalis affectus fœtui, & ambo necessario: nisi rarissime, aliter contingat sint interituri. Quis est qui impium putet esse, grauissimo, & periculosissimo vti remedio in morte, vt in plurimum vtriusque certissima? quo si posset fieri, matrem à morte vindicaremus, jam quod vtrumque seruari non datur; cum sit certissimum fœtum obiturum: vt apud Galenum videre est, hoc autem quod de vteri Erisypelate affirmo & Galenus etiam docet, idemq; ego prorsus, de inflammatione esse existimo, cum propter eandem rationem, quam Galenus inuexit, de fœtus morte certissima timendum sit: nam propter ingentem calorem Erisypelatis, mortem euēturam statuit Galenus. Quam eandem causam, & si aliquantulum minorem, in vterina inflammatione, inuenio. Verum hic obiter, iterum, atque iterum repeto, me nunquam, nec velle, nec procurare fœtus mortem, sed ex duobus certò, vt plurimum morituris, saltim matrem, si fieri posset seruare: quod nullo alio instrumento, quam eo quod proposuimus, fieri potest, scilicet menstruo per vterum aduocato sanguine, atque id ex aliqua venarum, quæ in pedibus sunt aperta. Et quantum ad hoc est, pro me Auicena fen. 21, 3. trat. 4. cap. 12. Quo loco asserit in inflammationibus vterinis, illud vnicum esse remedium, si ex menstruis detentis, fiant eosdem prouocare: præstantioremque in ea affectione curanda esse, saphænæ apertionem, ea quæ fit in brachijs. Cui attestatur etiam id commēto Gentilis docens, Supernarum venarum insicisionem, minus huic ministerio proficuam: cum non solum menstruo auocādo ea sit commoda, sed contrarium omnino molliatur, potius enim fluentes menses sistit, & reuocat quam detentos elliciat, & prouocet. ¶ Quod si Auicena, prædicto capite, parum post principium curationem phlegmonis vterinæ à detractione superna, inchoandam esse consulit: id puto intelligendum, in illis inflammationibus, in quibus fluxionis momentum, & principium in partibus, supra jecur, aut in ipso jecore consistit In quibus & ita ego consulo faciendum. Vt scilicet præéat in Basilica, vel in ambabus basilicis venæ sectio. Deinde vero, ea quæ in talo est, subsequatur, vt primum reuulsio, deindevero euacuatio, & deriuatio fiat. Sin autē prædictus author intelligat scilicet, ab appertione internarum semper

46 — 5. li. apho. com. 43. — 47

ſemper eſſe incipiendum: parui profectò pendo, eius ſententiam Nam vel in hoc, falſus eſſe depræhenditur, quod in ea inflamma tione, quæ poſt partum, & aborſum eſt, nullus eſt, qui audeat ta lem ordinem inſequi. Nam Galenus, (vt ſuperius diximus, & probauimus) nunquam cum menſibus concitandis incumbit, ini tium à brachio fecit: niſi intelligeret, cognoſceretque, certiſsi me traſſmi ttentem aliquam in ſupperis, partem eſſe: atque ſic omnes, ex talo ſemper promouebat euacuationes ſuppræſſas, nul la prorſus facta mentione inciſionis in venis ſupperioribus factæ, quantumuis vidèret retentos menſes, cum plenitudine, & plethora conjunctos, exiſtimans certiſsime, plenitudinem quamcumq;,
6.*epid. p.* per venas vteri poſſe deponi: cum in vtero, grandiſsimæ, & ma-
1.*com.* 2. gnæ venæ, & vaſa ſint per quæ, plenitudini cuiuis poſsit fieri ſa-
tis.

Sed ſi adhuc quæ diximus, & ſatis probabiliter confirmauimus, tibi non placeant; atque neque mihi, neque alicui probe medenti viro ſatisfaciet ea euacuatio, quatu in hujus affectus curandi prin cipio vſus es, cum te ais venæ cæphalicæ ſectione vſum eſt. Quod ſic oſtendo: cum primum Vir doctiſsime, curationem illius mu lieris epilepticæ, exercere aggteſſus es; vel jam multum in caput fiuxerat, in eoque continebatur, ita vt magis hoc vrgeret, quàm quod à parte tranſmittendum ſperabas, vel è contra parum id erat, quod in caput irrepſerat, multum autem, quod in demandā te membro, tranſmittendum ſupererat, vel æqualiter in vtranq; partem ſe habebat affectio: vt ſcilicet caput contineret jam mul tum, & in originè etiam tranſmittente, inſignis adhue erat copia, à qua augmentum incepti affectus in capite ſperaretur, & pericu lum. Si primum, certè vrgentiæ ratio poſtulabat, omnem curan tis animum, eo cardine tunc eſſe deuoluendum, vt quam citiſsi me euacuaret, id quod partem tam principem vt cerebrum eſt, in ſ ſtabat; non omnino oblita mandantis partis conſideratione. Quo dato conſtat euidenter, humeralis venæ inſciſionem, eo tē pore inutilem, ne dicam, pernitioſam fuiſſe. Nam præter quam quod talis inſciſio, humores ad ſupperas partes aduocabat, nihil ex eapite, aut parum potuit euacuare: cum potius talis venæ inſ ciſio, profluentes humores ex capite ad pectus, & ſubjectas par tes reuellere poſsit, quam quid notatu dignum, ex cerebri ventri culis, vbi humores epilepſiam cauſantes continebantur, exhauri
38 re, quod ſuppoſitus affectus expoſtulabat: ¶ Ac proinde commo dior multo (immo quæ affectui in capite exiſtenti directe reſpō debat,)

debat.) esset venæ sectio, ex fronte exercenda: ¶ Quod vero cæphalicæ inscisio, parum ad euacuandum valeat; inde videbis quod Galenus ad reuellendum, & non euacuandum, ea vsus sit: Quod sequentia ipsius Galeni verba declarant. *Quod autem venam recto tramite nari, vnde sanguis abunde profluit respondentem, manusque ejusdem humeralem venā ferire oporteat, liquido omnibus constat. Quod si ex vtraque profluxerit, secare vtrasque nihil prohibebit: non enim per eas, vacuationis sed reuulsionis gratia sectionem facimus.* Vides Galenum, eam sanguinis missionem ex cæphalica tanquam auxilium reuellens, & non tanquam euacuans exercuisse? atque sic, te non adequato, & debito remedio, ad euacuandum in hypotesi fuisse vsum. Ergo si quod satis multum, jam caput vexaret, ad sanguinis inscisionem, animum apullisti: non cæphalicam, sed eam quæ in fronte erat, debuisses apperire. Si vero secundum dicas timeri scilicet magis, quod influxionis origine erat. ne in caput iret præceps, & quod cerebrum occupabat parum esse: ita vt non nimis vrgeret, imo inducias spectandi daret. Tunc sic, vel fluxionis, caput, erant partes principes; & venæ grandes, quæ sunt, inter inguina, & alas, massæ sanguinariæ stagna, & perennes fontes, & tunc proculdubio, opportunissima, & debita, sanguini extrahendo, erat appertio, internæ alicujus venæ, aut ambarum. Cum ex Galeno satis simus admoniti. Eas venas scisas, citissime, & maxime partium principum plenitudines euacuare, & inanire, Quare nee tunc cæphalica esset apperienda. Multo minus profecto, talis venæ sectio habuit locum; si verum illius comitialis morbi causam esse conjeceris, vt re vera fuit, & tu fassus es, & vel te tacente, aut negante, omnibus innotuit, cum prægnans ægrota esset: quo statu talem affectum sæpissime oriri vidimus, & Hippocratrs edocuit, & vlcus illud significabat, vteri ceruicem occupās malignæ quidem sortis, & conditionis, vt quod jam in gangrenā, maximamque corruptionem degenerantem iret, Doctor Anchona testatur, homo Doctus, & testis omni exceptione major.

49 *li. 5. Prorrhetic. rū p. 3. com. 53.*

li. 2. acutorū comm. 10. & eiusdem libri comm. 24.

In choacis prænotionibus.

Si autem tertium dederis, scilicet maximam humorum copiā, jam caput susceptasse; maximamque etiam redundantiam suppeditem in corpore adesse: ex qua augmentum adhuc maximum affectionis inceptæ immineret. constat proculdubio, ex vtraque indicatione curationem etiam mediam, adhibendam fuisse, atque ita ego, si quando in similes angustias sum redactus, me gero, nā præmissa ex toto corpore, aut ex ea parte quæ origini sit proximior, sanguinis fusissima missione, si vires permiserint, tunc me-

deor. Deinde si maxima vrgeat necessitas, eadem die, vel nulla mora facta ad inaniendam partem accedo, quæ jam veluti per propriam passionem laborat, ob maximam quantitatem, quam jam in parte inculcatam considero. Et quia etiam partim per consensum afficitur adhuc, simul ad eam partem quæ primo transmittit, humores allicio, tum sanguinis missione (vt dixi) præeunte quæ ad principium atrahat, tum & remedijs methacincliticis, & cucurbitulis, fructionibus, oleis calidissimis, nitro aut alio medicamento vehementissime trahente in mixtis, in quo debita, & exquisita curandi ratio consistit, eo tempore, & in ea dispositione; nisi tu forte aliam exquisitiorem inueneris quam á te exquiro. Atque hæc sint satis pro mea ppinione, imo pro verissima, & omnibus recte medentibus satis cognita.

Non est autem quód quempiam perturbent, commoueantque, vt â proposita curatione quis desistat, rationes, & authoritates quæ pro hac sententia improbanda adductæ sunt. Facillimam enim habent dilutionem, imo ex earum solutione manebit, magis & firmiús comprobata. ¶ Quod enim primo loco adduceba
50 tur numquam esse tentandum aborsum, & omnibus gentibus inuisum esse, atque prohibitum libenter concedimus: neque nos tale vnquam procurauimus, neque intendimus, sed solum matris salutem inquirimus, remedia ex arte debita morbo adaptantes, ad quæ si aborsus sequatur, id ex accidenti fit, nihil tale nobis intendentibus & volentibus: vt qui solum vitam & fœtus, & matris procuremus auidissime, imo in vtriusque salutem, dum talia fecimus, credimus nos operari, cum sit probabilissimum, si mater debito & ad vitam necessario remedio destituatur, mortem illam oppetere, & puerum etiam interiturum. Experientia enim quotidiana satis comprobat, sepe vtrosque simul interire, matre vitam amittẽte; atque rarissime euenisse puerũ viuere matre interempta. Amplexamur ergo pijssimum Hippocratis præceptum, & laudamus consilium, sicque facturos nos promittimus, nunquam pessum abortiendi gratia nos daturos, neque medicamentum aliquod ambloticum, idest aborsum faciens, neque tale vnquam nos fecisse, neque facere excogitasse, Deum viuum testamur, tametsi ab impudicis quibusdam feminis, honoris conseruandi gratia, aut vt mortem fugerent à nobis sæpius id sit efflagitatum, Sanctorum ergo Patrum monita, Conciliorumque sanctissimorum decreta in hac re (Deo dante) speramus fideliter obseruaturos, si enim tale facinus Ethnici à vera religione carentes perpetrare sunt

veriti,

veriti; quanto magis & nos Christianos id decet facere, quibus ex diuinis præceptis, & ex debita lege naturæ idest inhibitum. Ergo à tanto crimine immunes nos magis præstare oportet, vt potè quos longe major in proximum christiana charitas inflammet.

Verum mirari subijt hac in parte Hippocratis obliuionem cum illum videam suis præceptis minime stitisse, cum enim jurejurando sit policitus, nunquam se operam daturum consulturumque aborsui aut fœtus alicujus perditioni, tamen contrarium illum fecisse video, dum asserit: ejus jussu cantatricem quandam puellam, quæ inhoneste conceperat saltasse vt fœturam expelleret, ac sic honorem conseruaret: quod cum illa fecisset, atque septies exilijsset, genituram in terram dimisit quæ ouo crudo similis erat externo amputamine exuto. Alios etiam antiquos medicos, & Philosophos grauissimos legimus, data opera aborsum causasse, aut quia mulier fœtui alendo esset inutilis, aut ne minori in prætio haberetur, quod depræhenderetur ex in debito conjugio concepisse, res profectò veris Philosophis satis indigna; & Hippocrati viro sapienti, & ad rationis, & naturæ præscriptum non solum actiones sed etiam consilia, ac cogitationes omnes exigenti, atq; formanti, indigna atque indecens; verum hæc cum dico præterire non possum quod in rem prope eandem scriptum recolo ab Aristotele summo sane Philosopho. Is enim cum de certo ac præfinito liberorum numero à suis quoque parentibus educando, & tuendo in ciuitate aliqua disputat. Statuere videtur si forte plures liberi, quam ratio facultatum, & hæreditatis paternæ substãtia patiantur, generari contingat. Tunc ad multitudinem nimiam euitandam oportere anteuenire, vt non concipiantur, nam postquam concepti sunt & sensum ad vitam acceperunt (inquit ille) nefas est attingere eos. At quidam sibi vult anteuenire vt non concipiantur? an fortè pharmacis & potionibus, aut alijs præsentibus medicinis adhibitis maternam aluum sterilem & in fæcũdam efficere? ne de inceps fructu aliquo gaudere, atq; pinguescere contingat? Id vero & nefarium est, & naturæ inimicũ, & aduersus humanam propagationem impium atque infestissimum. An abortionem illis eisdem medicamentis procurare? At hoc non minus impium, minus ve in humanũ est Quid igitur? Illud sane quod in sua illa politicorũ politissima translatione expressit Genesius Sepulueda, vir doctissimus atque omnium bonarum litterarum cultura excultissimus. Si quibus (inquit) fuerit aliquid prætera genitum, aborsionem ante sensum & vitam facere conuenit:

In sus jure juran.

7. Politic. cap. 16.

itaque vult, procurandam feminis recens excepti ejectionem siue effluxionem, antequam vlla in aborsu & ejectione animati fætus homicidij suspicio aut metus sit. Hoc vero etiam per se in humanum nefarium, & naturæ inimicum erit censendum, quippe, quod natura per sese ad generationem creauit, ordinauitque; & quod in loco fætui creando & animando exceptum est, & confoueri cepit, id extrahere, aut inutile irritum & frustraneum reddere. Quid est aliud quam naturæ operanti, & genus humanum propaganti inimicum & infestum se se opponere? Quid igitur? Aristoteles summus Philosophiæ & rectæ rationis præceptorũ magister aliquid contra naturam, aut docuit aut mollitus est? minime vero. Sana itaque Aristhotelicæ mentis intelligentia petenda ex commentario summi Theologi, atque Philosophi D. Thomæ Aquinatis, qui Aristholem loqui vult ex suppositione, & ex alicujus ciuitatis lege, quamuis illa iniqua & injusta. Si igitur alicujus ciuitatis statuta perscribant numerum, jubeantque certum ac diffinitum liberorum numerum curandum, nequi jam vitam & sensum acceperint, per inhumanitatem occidantur: quod ingens flagitium esset: sed vt antequam vitam acceperint, anteuertatur eorum vita, & sensus per effluxionem, & rejectionem seminis in vtero existentis. Quod & si nefarium etiam sit & contra naturam, minus tamen scelus est. Hic est dictæ Aristhotelicæ sententiæ sensus vt Diuo Thomæ placuit. Verum re vera nullo modo tale opus est imitandum, imo hac in parte ab Hippocrate, & ijs qui talia consulunt recedendum est.

In comm. ejusdem Aristhot. senten supra politi. libros.

Ad authores autem illos grauissimos Cobarrubiam scilicet, Siluestrem & alios qui homicidas esse dicunt, eos qui aborsum affectant, & molliuntur, & ex professo procurant, potionibus, & medicamentis quæ ex natura sua sunt amblotica, idest aborsum facientia, & quæ ex sua natura vim habent impellendi fætum, aut eum enecandi, dicimus ita re vera esse, atque tales censendos esse medicos qui talia perpetrantur, & grauissimis & accerrimis pænis plectendos, vt pote qui atrocissimum molliantur facinus, nihil autem id ad nos qui similibus medicamentis nunquam vtimur: imo his medijs vtamur quæ ex sua natura vt in plurimum salutem & vitam concilient, & in communem hominum languentium vtilitatem sunt inuenta, & in hunc eundem vsum ea nos adhibemus summis viribus, matrem à morte vindicare conãtes: quæ cum talia sint, si ex natura affectus ea sint simpliciter necessaria, vt ex eorum omissione probabilissimum sit matrem obituram: tenetur

netur medicus ex humanis & diuinis legibus illa afflictæ matri nō denegare: purgando cacochimiam ex purgatione, & potione pro ratione ex supperantis succi & abundantis exhibita, aut sanguinē mittere vbi & plenitudo, morbique species & idæa illam exposcat; totum ergo studium eo tempore dirigere debet medicus prudens, & Christi assecla, vt grauiter matrem ægrotantem à morte vindicet, quantumuis in vtero contineat. Quod si ex accidenti & secundario aborsus accidat, nihil culpæ medico, aut criminis incumbit, impenderet autem maximum, si propter omissum debitum & necessarium remedium mater vitam dulcissimam & amantissimam perderet. Secus multo esset si data opera & ex professo, medicinam aliquam ex natura sua fætus corruptiuam, & vitæ inimicam propinaret, in fætus exitium; qualia sunt multa medicamētorum genera, vi deleteria prædita, vt radix cyclaminis, & elaterium, aut sabina, & his similia quæ ab intrinseca constitutione, quæ illis ex elementis est, naturæ, & vitæ sunt inimica, aduersaq; inscisio etiam, ictus in vtero fortis, aut violentus aliquis motus circa locellos concitatus. Hæc sunt, quibus nusquam Christianū medicum in vtero gerentibus vti decet, vt pote quæ nullo modo, vtilitatem aliquam fætui possunt comparare; læsionem autem & noxam insignem inuehere sunt promptissima: his ergo si quis vtatur, reus certè vitæ pueri censebitur, tum etiam & aliquando ma matris obitus. At qui alijs remedijs contra morbi causam insurgunt ex arte contra tales affectus, inuentis, vt sanguinis missione, aut dejiciente pharmaco si recte debite, & vt artis præcepta docent, id exequantur, opus debitum, & præmio dignum operantur. Quod si medico neq; volente aborsum, neq; vllo modo procurante, & remedijs salutiferis matri morbo atroci conflictæ operante, aborsus sequatur, aut fætus mors, nullus ex Theologis hujus temporis grauissimis est, qui affirmet illum in culpam aliquā incidere.

Nam cum actus humani (vt ait Diuus Thomas) bonitatem, & malitiam sumant ex eo quod per se est in operantis intētione, nō auté ex eo quod per accidens; præter intentionē operantis sequitur, inde est bene curantem operari si non fætus mortem, sed vnā matris salutem intendens illis medicamentis vtatur, quæ ad prædictum finem, methodice, & per experientiā sunt inuenta. *2.2.q.69 art. 2.*

Hanc eandem sententiam sic probo. Conuenit hac nostra ætate inter Theologos peritos, per accidens ac preter intentionem occidere innocentes in præuisa eorum morte, in bello justo, si

 contingat

contingat bellicis tormentis, vel igne admoto ciuitatem comburi, in qua innocentes etiam comburantur; tamen id licitum esse, si bellum justum sit, & ad vltionem justam inimicorum capescendam, atque id sine culpa fieri, ab eo qui vindictam sumat: ergo pari ratione, cum medicus debitis instrumentis certamen ineat cum morbo, vt illum à corpore expellat, ramedijs morbo debitis, & aliàs satis vsitatis, & necessarijs carebit ergo etiam culpa, quia etiam justissime contra morbum dimicat; pro matre a morte eripienda, etiam si casu quodam mors puerum præoccupet.

Rem tandem totam vltimo & Herculeo nodo stringam. Nam licebit cuique puerperæ vitam suam tueri sumpto sibi alimento, quamuis alterius cujuscumque etiam infantuli; quem recens peperit, salus & incolumitas prorsus in discrimen, exitiumque adducatur. Exempli gratia. Si indigeret mater suo sanguine, suo ve lacte, medicamento vè alio, quod si sumeret arescerent vbera, ac nihil alimenti super esset filiolo nutriendo, non solum ea mulier id facere posset, sed ex lege & ordine charitatis deberet sane doctus & prudens medicus matri laboranti ejusmodi medicinam facere; si nulla alia certior opportunior vè ex medicinæ præceptis & arte suppetere: quamuis infantulo discrimen certum crearetur vitæ; & quamuis nullum aliud ex alia nutricæ præsidiũ illi parari posset (quod eleganter ostendit probatque doctissimus Theologus ex Societate I E S V. P. Thomas Sanctius, adductis grauissimorum aliorum Theologorum testimonijs, lib. 9. de Matrimonio disp. 20. fol. c173.) Ergo poterit sane medicus simile quoque remedium adhibere vtero gerenti, quantumuis non dum editus fætus in vitæ discrimen certissimum adducatur: res enim est proculdubio eadem, ejusdẽm formæ ejusdemque non solum veræ similitudinis, sed verissimæ veritatis.

Quod autem Hieronymus Mercurialis dicebat: sectionem saphenæ menses ex natura sua euocare, ac proinde nunquam esse secandam eam in prægnantibus, si præceptum prudentiale non sit omnino, contemno: scilicet si intendat raro & summa præmeditatione præmissa, neque temere neque ex quauis leui occasione, infernas venas apperiendas esse consulat; consilium laudo & recipio, ac sic faciendum puto, quemadmodum jubet doctissimus & cordatissimus Doctor Ludouicus Mercatus, sic enim illius sententiam accipio, quasi sit præceptum prudentiale, verum absolute, & in vniuersali. Affirmare, nunquam posse euenire occasionem,

sionem, in qua liceat, & expediat talem insicisionem facere falsum esse omnino existimo, neque mihi persuadeo, virum adeò eximiũ ita de proposito remedio sentire, vt aliquando, & si non ita sæpe non sit necessaria phlebotomia ex pedibus. ❡ Nam vt superius probaui quis in lue perniciosa, bubonibusq;, & tumoribus, aut carbunculis in inguinibus, aut tibijs excrescentibus relictis & expretis venis quæ per pedes decurrunt, audeat apperire aliquam earũ quæ in brachijs sunt, profecto nemo, nam sic virus semel á corde & partibus principibus depulsum, ad eas quæ minoris sunt fortis, iterum ad easdem principes partes, & cor aduocabit, sicque mortem conciliabit citisimam; ergo saltim in hoc casu, jam præceptum vniuersale exceptionem patitur: quod si graue sit corruptos & pestilentes humores ad cor aduocare, ibi concitant pestilentem febrem, de cuius essentia & natura dicitur esse, quòd majorem partem eorum quos appræhendit interficiat. Cur etiam non sit grauissimum in ea morbi comissalis specie, quæ in confinio est fortis apoplexiæ, eosdem humores nunquam distantissimè distrahere, cum in natura apoplexiæ fortis non minus subsit periculum si semel oriatur, quam in pestilente febre? nam si de hac docuit Galenus majorem partem occidere eorum quos inuadit: de apoplexia grauius multo periculum vaticinatur Hippocrates dum dicit. *Sic Apoplexiam fortem soluere, & impossibile, debilem vero non facile:* Ergo vt in peste ad majorem retractionem affectu existente in inferis partibus sanguinem mittimus ex talo, parum curantes defætu pro vita matri concilianda: pari pensu & in epilepsia grauissima, quam sit timor & probabilissima conjectura, in apoplexiam conmutandam, non est quod ita ad partes infernas ad sanguinis misionem te non conuertas.

51

2. Apho. 42.

Tandem cum ex tertio articulo constet, conceptionem non omnino sanguinis profusionem inhibere: imo solum moderationem quandam euacuationis faciendæ præscribere, esseque velut scopum quendam semper ante oculos medentis habendum (dum grauidis medetur) qui sanguinis extrahendæ quantitatem imminuendam hortatur. Quod quidem necessarissimum & vtilissimũ semper extitit, & Cornelij Celsi viri in Chirurgicæ medicinæ partis admirandi placito satis consentiens; existimo proculdubio fere eundem scopum esse, & pares vires in indicando habentem, conceptionem in ordine ad delectum venarum quæ in prægnantibus grauiter habentibus secari debent; atque ferè equalem in vtroque casu faciendorum indicationem præscribere,

lib. 2. cap. 10.

etiam

etiam si præsior vrgentior & majori attentione digna sit aliquantulum consideratio, de hac, vel illa vena secanda in prægnante femina, quam de sanguinis missione exercenda absolute. Exquisitius ergo & majori præmeditatione præmissa, agendum à medico est, & considerandum, nuc ex brachijs, vel ex pedibus venarū sectio sit facienda, quam inaniendum ne sit sanguinis missione, aut alio euacuante præsidio. Verum re vera ambæ indicationes prædictæ inhoc conueniunt, quòd nulla illarū adeo indicat perpetuò, vt contrarium facere non liceat, & expediat quandoque, atque sic fit, nec semper ob fætum nondum in lucem editum, in ijs in quibus affectus expostulat, à sanguinis missione esse abstinendum, nec semper propter eundem finem & eandem causam (puta propter fætum in vtero degentem) esse dimitendam indicationem, quam situs & pars affecta sugerit. Etiam si hæc consideratio maturum magis consilium, majoremque necessitatem expostulet; ac propterea à nobis particula fere adita fuit, quod scilicet vel hac ratione indicationes prædictæ differant.

Ex dictis etiam liquet aliquando posse & deberi venas brachiorum internas aperiri, atq; adeo saluatelas quantumuis Nicolao Rocheo visum fuerit factu temerarium, nam si saphenę scindi possunt, (& si raro id sit tentandum) cur etiam & non possint internæ aperiri; cum ex pedibus euacuationes factæ magis conturbēt agitentque prægnantes & fætum, citiusque & magis alimentum ab eo extrahant, atque sic magis & citius possint aborsum inducere.

Sed dum hæc scriberem, subijt in mentem quod quidam contra nos, contraque nostram sententiam objiciunt, nam dicunt inter alia, eam sanguinis missionem quam nos eligimus fore necessarió perniciosam, nam in causa erit, vt præcipites afluentes humores ad vterum augerent inflammationem, & fætum suffocarent, quorum neutrum maximá culpa vacabit: atq; sic, talem sanguinis missionem esse dimittendam. Proh dolor, deum testor dū hæc audio, necio an cum Democrito rideam, aut cum Eraclito lachrimas effundam, dum horum stupiditatem, & ignorantiam cōtemplor. Non timent hi capitis affectionem grauissimam, apoplexiam scilicet, & læsionem in cerebro parte adeo principi, & formidant augmentum affectionis vterinę partis adeò ignobilis, vt tanquam centina vniuersi corporis ab aliquibus merito reputetur, profectò adeo infimæ sortis membrum hoc est, vt eo omnino exempto, & Auicena dicat, & alij authores referant, quasdam

Fen.21.li. 3.tract.4. c.5. et Frācus Rose. li 4.c.4.re

mulieres

mulieres vixiſſe: videant illi an ſine capite aliquam vixiſſe audierint, niſi ex miraculo id accidat, vt Diuo Laureano hujus Hiſpalenſis Ciuitatis ſanctiſsimo fautori.

Timent illi fœtus ſuffocationem. Maiorem multo ſuffocationem ego ſpero, ſi ſemel epilepſia in apoplexiam abierit. Deponant ergo ruſticum timorem, animoque conſiderent, nullum eſſe in arte medica remedium, quin aliqua ex parte lædat. Galeno id edocente: Quinimo cum id ſatis cognouiſſet Hippocrates dixit. *Ad hoc te exerceto morbis, vt proſis, aut non noceas. 6. epidem. ſection. 2. text.* 50. Quod eſt dicere. Ita medendum, vt quam minimum lædamus, nullatenus enim dum medemur lædere nunquam datur, conſiderent etiam, quod cum Galenus humores ex partibus ignobilibus deuenientes ad magis nobiles, juſsit illos rurſus ad propriam originem vnde exierant reuocare: ſatis ipſum cognouiſſe eos quos natura, & partes, tanquam inutiles & irritantes expullerant, iterum læſionem & afflictionem, & forſam majorem denuo reddeuntes eſſe inducturos: tamen pro maiori vtilitate, & vt à maiori noxa vniuerſa hominis reſpublica eſſet immunis, id eſſe licitum & conueniens, (penſitent iterum atque iterum hæc, & videbunt tandem me vera & veriſsima aſſerentem) ſi quæ dixi, bene intelligantur, illos autem à veritate & vera curandi merhodo maxime diſtare.

fert debat re ſex hiſtorias. Idē affirmat Doct. Chriſtoph. Vega, lib. 4. methodi cap. 10: 11. meth. cap. 11.

Iam vero quod dicunt, contraque noſtram ſententiam objiciunt, futurum ſcilicet vt ex ea ſanguinis miſsione ex pedibus facta, maxima humorum copia ad vterum confluat ex qua vterina affectio grauior ſit, & periculoſior futura: tum etiam vt ex eodem deffluxu fœtus ſuffocetur, vanum profecto & falſum eſt: nam & ſi ea euacuatio quæ ex ſaphæna fit, humores verſus vterum concitet, eorundem etiam humorum euacuationem & deriuationem ab vtero præſtat, diſtrahitque ab vtero dum humores ad pedes trahit, quod quidem ita contingere edocuit Galenus dum ſic ait. Deriuabis autem ſi eas quæ in pedibus ſunt, ſecuris venas. Quam eandem ſententiam & placitum demonoſtrauit euidenter ſatiſque eleganter Leonhartus Fuccius, eleganti quadam epiſtola contra Thadeum Dunum contrarium perperam ſentientem.

2. ad Glauconem ca. 2.

Præterea falſum omnino eſt, ſectionem venæ ſaphenæ ex natura ſua & per ſe menſes prouocare, & ſubinde aborſum facere, vt Hieronymus Mercurialis dicebat. Nam præter id quod ſuperius, experientia atteſtante, prouabimus non ſemper ex tali

euacuatione sanguinis menustrui, profluuium neque aborsum concitari, propositionis falsitas. Ex Aristotele etiam patet qui 1. lib. de Posteriori Analisi dicit. *Quod inest alicui per se, id ipsum inest de omni, & secundum quod ipsum.* Quod est dicere, quod alicui competit ex se, semper & omni competit: at vero cum sanguinis missio etiam ex talo facta non semper aborsum neque menses prouocet, vt satis superest probatum, non est quod talis euacuatio possit dici per se menstrua euocare, & aborsum inducere. Superest ergo, (vt receptui pulsem) ex vniuersa huius disputationis serie, & orationis cursu, epilepsias omnes quæ ex vteri occasione accidunt, ab ipsius vteri prouidentia & medela, curationis principium esse habituras. Ac si quando sanguinis missione illæ sint curandæ, ex venis infernis euacuationem esse exercendam, erroremque esse maximum perniciemque grauissimam mulieres ex vtero affectas brachiorum venis inscisis curari: cum tales inscisiones euacuationesque affectum vterum, humoresque ex eo in superas partes ascendentes attingere nõ possint, atque sic nec eorum fluxus cohibere, & retardare, atque ita adhuc in prægnantibus eandem curationis normam esse amplectẽdam obseruandamque censeo si contingat, eò vehementiæ epilepsiam deuenire, vt alia minora & securiora auxilia non sufficerint, & nisi ille qui in vtero sanguis superfluit extrahatur & euacuetur, mortis subsit prouabilissimum periculum matri euenturæ. Tandem hæc sunt viri doctissimi, quæ de proposito probleme mihi videntur, probabilissima, & vero similima, quæ quidem melius sentientium juditio, & correctioni libenter subjicio.

lib. 1. c. 4. de posteriori analisi.

ACORDE Para mayor claridad y intelligencia para quien vuiere de juzgar la verdad, poner aqui la historia en Romance Castellano, firmada del marido y suegra, y los demas Medicos, y otros circunstantes: y auiendola recibido el doctissimo Doctor Tamayo, dixo que era assi, y que conforme ella lo escriuiria en latin, y para que se vea la diferencia que ay de la suya a esta, la pongo aqui sin quitar ni añadir vna sola letra.

LA Señora Doña Catalina de Quiñones, de edad de diez y nueue años, de siete meses preñada, de buena complision y salud, y bien regida, sin achaque ninguno de preñadas, solamente en el sesto y quinto mes, le salia por tiempos alguna poca de sangre por las narizes. Con esta

siguridad

ſiguridad no lo eſtuuo, para que de repẽte cerca de media noche no le dieſe vn dolor de cabeſa vehementiſsimo, el qual durò haſta deſpues del Alua, y luego pidiendo el ſeruicio, deſpidio algunos eſcrementos. Deſpues de lo qual boluiendoſe a la cama vomitó, y la lengua ſe le eſtorpecio, de manera, que parecia hablar como los que ſe toman de vino. Deſpues de las dos tuuo vnos mouimientos de ojos, y de todo el cuerpo, ſemejante a los que tienen mal de gota coral, deſpidiendo luego en el principio del paraſiſmo eſpuma por la boca; pero no deſpues, porque los mouimientos inſiſtieron cerca de dos dias, haſta dexar en vna poplexia.

Al amanecer llegò el Doctor Ramirez para ſocorrer eſta deſgracia, y luego yo el Doctor Vitoria. Preguntoſe ſi antes de eſte accidente auia tenido otro achaque, reſpondieron los circunſtantes, que vna poſtema en la boca de la madre. La comadre que ala ſazon alli eſtaua, y deſpues el Doctor Ancona, afirmarõ tener vna hinchazon de la magnitud de dos puños juntos, diziendo el Doctor Ancona, que el tumor ò inflamacion eſtaua ſordido y de ruin color, por lo qual ſin diferencia acordamos ſangrarla luego del braſo que guardaua ambas rectitudes, con lo qual por algun rato ſe quietò, no porque del todo ſe quietaſe, ſino porque ſe remitieron los mouimientos; pero deſde luego crecieron de manera, que el miſmo dia a las dos de la tarde con tan violento mouimiento eſtando ſin ſentido ni viſta, ni razon, mouio ſin entenderlo los circunſtantes; y aſsi la hallaron la criatura muerta entre los muslos, ſin auer purgado ningun genero de purgacion de los que ſuelen purgar las paridas, aſsi de lo que ſuele purgar deſpues del parto, como de lo que contenian las pares, y eſto fue haſta el fin, porque las mechas que ſe le ponian ſalian ſecas, y faltas de la humedad que lleuauan

Al tercero dia de ſu enfermedad deſpedia tan mal olor, que no auia quien pudieſſe aſsiſtir en el apoſento. Al fin del quarto fue Dios ſeruido de lleuarſela al cielo, y eſta es la verdad deſta hiſtoria deſgraciada, ſin añadir coſa ninguna, como lo diran los que aqui firmaren, que ſon las perſonas que aſsiſtieron de contino en ſu enfermedad.

Todo lo contenido en eſte papel es verdad, ſin quitar ni exceder en coſa ninguna, y aſsi lo firmo de mi nombre.

El Doctor Ramirez.

Esta Relacion es cierta y verdadera, y por tal la firmamos de nuestros nombres.

Sebastian de Carrion.

El Doctor Francisco de Ancona.

Digo qué es verdad todo lo contenido arriba:

Doña Mariana de Morales.

Y Yo como testigo de vista desde el primer punto de la enfermedad hasta el fin, digo ser verdad todo lo de arriba escrito, sin añadir ni quitar cosa ninguna, y por ser verdad lo firmè de mi nombre, en Dios y en consciencia.

Lorenço Boloque y Cehauz.

HISTORIA.

NOBILIS Quædam juuencula calida & humida ex ætate & temperamento ſubſtantifico ſubſiitens, quæ decimum nonum ætatis anuum agebat, primi prægnans fere totos menſes ſeptem incolumis, & ab omni morbifica affectione quæ ſenſui eſſet ſubjecta tranſegit. Et ſi ex quibuſdam interualis ſanguinem ex naribus funderet quinto & ſexto menſe. Vitam habebat ſedentariam & otioſam, ſplendide & copioſe veſcebatur; idque ſepius accepto cibo & inſuper magna quantitate ingeſto. Cum autem ſeptimum integrum menſem expleret, illius menſis die vltima, hora ſecunda ante lucana capitis vehementi dolore cepit conflictari, atque aluus ſecundum ſuperiorem & inferioram partem turbari:ita vt per inferiorem ejecerit multa & tenuia; & per ſupernam ventriculi partem vomitus copioſus ſimul ſit obortus. Quo facto cum acubuiſſet, iterum cepit ſecundum omnes totius corporis artus contremiſcere, & præcipue magiſque ſecundum faciei & oculorum muſculos, emitens ſpumoſam quandam & tenuem ſubſtantiam ex ore; at illam quidem pauca quantitate & ſemel tantum emiſsit, atque hoc totum cum ſenſuum omnium amiſsione pribationeque. Tribus autem horis à primo morbi inſulto deuolutis, Doctor Petrus Victoria eximius in re medica vir, ei opem & auxilium laturus acceſſit, qui affectus magnitudinem & ſæuitiem contemplatus ad ſanguinis emiſsionem, ex cephalica vena factam animum apulit. Qua ſanguinis profuſsione aliquantiſper ægrotans ad ſe redijt. Verum paulopoſt grauior crudeliorque acceſsio alia epileptica priori ſimilis inuaſsit, quam tertia adhuc duabus fortior excepit. Qua occaſione accedens accerſitus ego, expoplitibus aut pedibus ſanguinem eſſe fundendum dixi, quod malum totum ex vtero ortum habere crederem. In quam conjecturam fui ductus quod ab Hippocrat. & experientia didicerim epilepticas paſsiones ſepiſsime prægnantes comitari, eo quod cerebrum vtero & ſanguine & vitioſis humoribus pleno condoleſcere, in prægnantibus ſæpe viſum ſit. Confirmauit autem meam præſentionem, quod aſtantes fœminas & obſtrecticem audirem, eam languentem in vtero tumorem qnendam inſignis magnitudinis habere, à quo per multos ante dies conquereretur. Cum autem huic meo placito, de venæ ſectione ex pedibus in prædicta muliere prægnante exercenda non aquieſceret ſocius doctiſsimus, vt qui aborſum fœtuſque

In coatis prænotio. & lib. de morbis mulierum.

mortem pertimesceret, ac minime fieret, quod ego fieri suadebam: deinceps deterius grauiusque multó habere cepit (forsam potius quia affectus esset exitialis perniciosusque quam ex remedio meo iudicio ex arte debito necessarioque prætermisso, verum siue hac siue illa causa quis opinetur id venisse ita certe res habuit. Deinceps infælix mulier deterius multo, habuit accessiones fuere seuiores, sensuum priuationes profundiores longioresque & motus concusiui adeo impetuosi & violenti vt ruptis vinculis quibus ab vtero pendebat (vocant illa acceptabula) fætus cum omnibus in volucris foras eliderentur, ac tandem magis ac magis, malo ingrauescente, epilepsia in apoplexiam fortissimam fecit abscensum, quæ illam ægrotantem per duos alios dies integros exercuit, nec tertia infælix fœmina obijt diem suum. Ab ea verò hora est inter nos disidium obortum, an aliquando & præsertim in affectione proposita, liceret pro matre seruanda grauissima ex vtero habente sanguinem ex saphena extrahere. Hanc autem quæstionem examinare (quod Deus faxit) aggredior sic.

LAVS DEO.